UNIVERSITÉ DE PARIS — FACULTÉ DES LETTRES

DE CONVENTU BONONIENSI

THÈSE LATINE

PAR

LOUIS MADELIN

AGRÉGÉ D'HISTOIRE ET DE GÉOGRAPHIE
ANCIEN MEMBRE DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

PARIS
TYPOGRAPHIE PLON-NOURRIT ET Cie
RUE GARANCIÈRE, 8

1900

THÈSE LATINE

UNIVERSITÉ DE PARIS — FACULTÉ DES LETTRES

DE CONVENTU BONONIENSI

THÈSE LATINE

PAR

LOUIS MADELIN

AGRÉGÉ D'HISTOIRE ET DE GÉOGRAPHIE
ANCIEN MEMBRE DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

PARIS
TYPOGRAPHIE PLON-NOURRIT ET Cie
RUE GARANCIÈRE, 8

1900

PROOEMIUM

Incumbentibus nobis quintum jam annum in studium concordatorum anno 1516 pactorum occurrerunt in Italiæ bibliothecis et tabulariis documenta multa ignota adhuc et contempta, quæ rerum condiciones et tempora describunt, in quibus pacta sunt conventa illa quæ per annos trecentos, imo quadringentos, res omnes inter Ecclesiam et Civitatem Galliæ direxerunt. Nobis quoque apparuit Leonem X et Franciscum I non concordata solum disputasse, sed etiam alia plura negotia absolvisse, cum anno 1515, mense decembri, Bononiam convenerunt : ita ut negotiationem de concordatis habitam non facile aliquis seorsum consideret a politicis et pecuniariis quibus mixta tum fuit. Postquam igitur clarissimae illae res nobis quasi in vivido apparuerant, cum duos annos in Italia commorati sumus veteresque chartas Romae, Florentiae, Venetiis, Mantuae, etc. servatas diuturno studio investigavimus, usi quoque aliis documentis aut editis aut nondum in lucem prolatis : tunc existimavimus Bononienses negotiationes, quae tantum pro parte erunt in opere quod ulterius de concordatis anno 1516 pactis edere intendimus, jam in se aliquid pretii habere et earum descriptionem viris eruditis aliquod oblectamentum esse allaturam. Hicce libellus nec figura quaedam amplioris operis

nec summa est. Tunc alia nobis mens erit, alius modus res inspiciendi.

Pro materia vero hujusce libelli conventum Bononiae habitum mense decembri anni 1515[1] assumpsimus quatenus est episodus politicarum et ecclesiasticarum historiarum. Quibus ex remotis et occultis causis conventus exierit, quibus praeviis colloquiis (quae merito partem illius necessariam efficiunt) paratus fuerit : qui colloquiorum ordo et fortuna : quae res mirabiles tum evenerint : quae in colloquiis agitaverint, quaeque ex illis tum propius, tum ulterius exierint : ea omnia hic edisserere tentavimus.

Duplici vero de causa oportuit ad res minutissimas attenderemus et ab ignobilibus fontibus documenta hauriremus. Nam res quae videntur humiliores esse, cum ad viros illius aetatis aequales pertineant quique partem habuerunt in conventu, jam documenta sunt aetatis et morum et aularum quae in *aevo renascentis artis* majori splendore refulserunt. Praeterea fontem nullum in promptu habuimus qui nos res gestas in Bononiensi conventu edoceret. Veritas igitur nonnisi ex rebus humillimis una collectis et ex ignobilibus fontibus emanare poterat.

Propter hanc igitur documentorum penuriam improbum laborem habent qui Bononiensem conventum, maxime quod ad concordata pertinet, explorare volunt. Si fuissent concordata annis 1515 et 1516 pacta quemadmodum pacta sunt posteriora annis 1801-1802, nunc procul Roma, nunc procul Parisiis, multa epistolarum commercia exstitissent instar eorum quae recens edidit Boulay de la Meurthe. Sed viva voce pacta sunt priora concordata inter Christianissimum et Pontificem, cancellarium Duprat et cardinales legatos : omnes et regis et papae consiliarii et ministri adfuerunt

Bononiae : cardinales et privati papae consiliarii et Ludovicus de Canossa qui tunc nuntius erat in Galliis, et ministri Francisci I et cancellarius Duprat et cardinalis San Severino et Florimundus Robertet et uterque Briçonnet. Ergo nullum epistolarum commercium tunc exsistere potuit. Nec Leo papa X, tacitus vir et cautissimus, quidquam scribi jussit quod de rebus agitatis fidem faceret, qui propriis scribis nunquam colloquia sua vel promissa credidit. Ceterum Paulus Jovius, qui conventui aderat, scripsit : « *Tra il Papa e el Re non intervenuto scrittura alcuna.* » Imo, videntur, fato aliquo aut astuti alicujus viri industria, sublata esse concordatorum Bononiensium vestigia. Nam, cum Sanctissimi Patris Leonis papae XIII indulgentia aditus nobis ad *Tabularia consistorialia* factus fuerit (quæ prorsus ab *Archivis Vaticanis* differunt), chartas recensuimus quae in armario X° et XI° asservantur (ab anno 1500 ad annum 1520), nec documentum ullum consistoriale reperimus quod ad annum 1514 vel 1515 pertineret. In illis voluminibus et in eorum exemplaribus, chartae rerum anno 1517 gestarum sine ullo intervallo ad chartas anni 1513 accedunt. Parem lacunam, minorem quidem, deprehendimus in variis fundis quos oportuit in *Archivis Vaticanis* recenseremus : *Lettere dei Principi; lettere dei Cardinali; lettere de Vescovi; Nuntiature, Miscellanea* et *Archivio del Castello.* Quod autem attinet ad copiosissimam seriem dictam : *Registri Leonis X*, nec *Bullarium* nec *Secreta* quidquam nobis obtulerunt praeter acta generalia aut epistolas de rebus administrationis scriptas. Reperimus quidem in fundis quibusdam Vaticani et maxime *Florentiae* fragmenta non parvi momenti epistolarum inter Mediceos, papae ministros, et nuntios scriptarum : magna vero pars illarum videtur de industria sublata esse.

Exstant de Bononiensi conventu epistolae a ministris variarum nationum scriptae, qui ibi adfuerunt multi; sed, ut patet, exteriores caerimonias et politicas negotiationes maxime descripserunt. Nihilominus haec documenta sufficiunt ut ordo clarissimi conventus per dies possit restitui et quaedam etiam negotiationes bene observentur.

Quare iterum dicimus hic a nobis non minus offerri caput quoddam historiarum, ut recentius dicam, « diplomaticarum » quam caput rerum inter Ecclesiam et Civitatem gestarum; quod nos multum juvat affirmare, quia in conventu illo, quoquo modo observetur, videntur Galliae ministri post regem suum et ipsi victoriam insignem retulisse.

DOCUMENTA INEDITA

I. Archivum Sanctae Sedis apud Vaticanum.

1° Bullarium Leonis X. *Registri* 1815, 1816, — *Secreta* (Registri n° 1193-1204).
2° Nuntiature. *Germania*, t. I. (*Epistolae a nuntio in Gallia et ad nuntium missi in « Nuntiature Germaniae » errore collectae* (f^os 1-4, 11, 13, 16, 23, 42, 54, 55, 67, 83, 96. Hoc volumen sane est quod Gachard in suo indice anno 1812° facto cum numero 9° describebat).
3° Miscellanea. *Armadia* XLIV, t. 5 (*Brevia Leonis X*), 1513-1518. — XXXIX t. 30 (*Brevia Leonis X*). 1513-1514. —XXXIX, t. 31 (*Brevia Leonis X*), 1515-1518. — XXXIX, t. 63 « *Conti della Camera di Leone X*. — XXXI, t. 46, f^os 376 383. *Mandata ad Campeggio*. — II, t. 115, XII, t. 105. *Actorum consistorialium exemplaria*. — XII, t. XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV. Aequalia exemplaria *Diarii Paridis de Grassis*, caerimoniarum magistri apud Leonem X : præcipuum documentum quod usque adhuc haud perfecto modo solum partito editum est.
4° Archivio del Castello, *Diversa documenta, imprimis de concordatorum attributione*.
5° Archivio Borghese, I, 49; I, 111, 113; I, 562, 567.

II. Bibliotheca Vaticana.

1° *Exemplaria Paridis de Grassis* (5-634-35, 5944) 2° — *Summarium pontificatus Leonis X* (6111). — 3° *Brevia Leonis X* (6574). — 4° *Epistolae ad Balt. Castiglione et ad Aloysiam de Gonzaga* (8211, 8212).
Bibliotheca Urbinate, *Giornale* di Leone X (1641, f° 369). *Lettre de François I^er* (837, f° 363). — *Del Governo di Francia da Ludovico di Canossa* (858).

III° Bibliotheca Barberini, Romae.

1° *Actorum consistorialium exemplaria* (XXXVII 1. XXXVI 7, XXXVI, 8, 10, XXXV. 12). — 2° *Vita Leonis papae X a Novello* (XXXII, 64). — 3° *Diarium* (1509-1540), XLIII, 98.

IV°. Archivio di stato, Florentiae.

1° Carteggio, *Signoria*.
Lettere varie alla Signoria, Responsive 9. *Lettere esterne*, Resp. 35.
Lettere varie, resp. 34. *Lettere interne*, resp. 36.
2° Lettere agli Otto di Pratica. *Lettere esterne*, Resp. 12, 13, 14.
3° Archivio Mediceo. Filze X, LXVI, CIII, CV, CVII, CIX, CXIII, CXIV.
4° Carte Stroziane, Filze III, V.
7° Manoscritti Torregiani (quorum manuscriptorum pars tantum a Guasti, Florentiae 1878, edita est).

V°. Archivio di Stato, Venetiis.

1° Lettere degli ambasciatori. — *Capi del Consiglio dei X.* Francia, 1500-1516. Busta 9, Roma.
2° Senato. Secreta, 45, 46.
3° Lettere Collegio, IV, Secreta, 1516. Filza IV.
4° Commemorialia, Capsa XX, 1515, 1528.

VI°. Museo Corer, Venetiis.

Lettere degli ambasciatori (Prov. Gradenigo).

VII°. Bibliotheca Nazionale, Florentiae.

Manoscritti Cerretani, II, 9-19; *Sommario* (Manoscritto) *delle cose di Firenze dal* 1494 *al* 1519.

VIII° Archivio Gonzaga, Mantuae.

Rubrica Milano, 1515. Carteggio, (*Epistolae oratoris Serardino* 18 sept. — 27 déc. 1515).
Rubrica Bologna, 1515. Carteggio, (*Epistolae oratoris Caroli Agnello,* (27 août, 27 oct. 1515). *Epistolae oratoris Alexandri Glabanetta* (1er oct. — 16 déc.) — *Epistola oratoris Grossino* (11 déc.) — Omnes erant illi Mantuani legati aut ad regem aut ad papam missi.

IX°. Archivio di Stato, Mutinae.

(Antiquum aerarium Ferrariensis ducatus.)
1° Cancellaria. *Carteggio degli ambasciatori Estensi in Bologna.* (28, 30 nov., 16-17 nov., 29 oct., 11-17 nov., 28, 30 nov., 3, 12 déc. 1515.)
2° Cancellaria, *Minutario cronologico.* — *Epistolae Cardinalis Hippolyti d'Esta ad Fernandum Costabili* 22, 26, 28, nov. 1515.
3° Cancellaria, *Lettere de' Principi esteri.* — *Epistolae Eneae Pio et Fr. Marie-Miscomino ad Cardinalem.* 9 déc.
4° Cancellaria, Carteggio degli oratori *a Milano,* 23 sept. 8, 29 oct. nov. etc. *in Francia* (oct.-déc.) *in Firenze* (déc.)·
5° Archivio Secreto, Casa (Estensis). Epistolae Ferrarensis ducis ad fratrem Cardinalem Hippolytum (oct.-dec. 1515).

X°. Archives Nationales, Parisiis.

Concordat entre François Ier et Léon X (original). Supplément du trésor des chartes J. 941.
Bullaire. Carton L 357, 363, 357 liasse 2e nos 8-61.
Enquête sur les opposans au Concordat. Trésor des Chartes. J. 10, 27, II, supplément.
Registres du Parlement X¹a 159, 160 ; 4860, 4863, 83335, 8356.
Discours du chancelier Duprat J. 942.

XI°. Bibliothèque nationale, Parisiis. *Codices.*

Fr. 17630. — Lettres permettant à Louis de Canossa de faire les fonctions de légat.

— 17591. — Remontrances de la Cour du Parlement contre les concordats avec la réponse de M. le chancelier Duprat.

Coll. Dupuy 117. — Documenta varia de concordatis, 1516.

Fr. 17,444 et 17,523. — « Mémoires dressez par le secrétaire du chancelier Duprat depuis la fin du règne du roy Louis douze, 26 nov. 1514. » — (Confecto hoc nostro opere, manuscriptum 17,444 a de Vaissière editum est. — In codice 17,523 sunt aliae explicationes de Bononiensi colloquio. — Cf. operum notitiam : Barillon.)

ABBREVIATA

Arch. Vat. Archivum Vaticanum.
Arch. Flor. — Florentinum.
Arch. Ven. — Veneticum.
Arch. Mut. — Mutinense.
Arch. Mant. — Mantuanum.
Arch. Nat. — Nationale (Francia).
Bibl. Vat. Bibliotheca Vaticana.
Bibl. Nat. — Nationalis (Francia).
Bibl. Nat. Flor. — Nationalis Florentina.

OPERUM NOTITIA

QUÆ IN HOC OPERE CONFICIENDO NOBIS PROFUERUNT

ANDRAUL, *Traité de l'origine de la Régale.* Paris, 1700.

ALBERI, *Relazioni degli ambasciatori Veneti.* Seria J. t. I, Rel. MARINI JUSTINIANI Seria II, t. III, pp. 39, 66, Rel. MARINI GIORGI, 17 mars 1517.

AUDIN, *Vie de Léon X,* 1844.

Archivio storico Italiano. III, 481. Spese fatte per la feste celebrate in Firenze in occasione della venuta di Leone X.

BEAUCOURT (DE), *Histoire de Charles VII,* 1885.

BENOIST (Ch.), *L'État et l'Église,* 1892.

BEMBO, *Epistolarum libri XIII.* Venetiis, 1611.

BERNARDI, *Observations sur les quatre concordats de M. de Pradt.* Parisiis, 1819.

BOURGEOIS DE PARIS (*Journal d'un*), *Societas historiæ Galliae,* 1854.

BOULAY DE LA MEURTHE, *Négociations du Concordat.* Parisiis, 1895.

BOULAY (E. DU), *Historia Universitatis Parisiensis.* Parisiis, 1670, t. IV-VII.

BRANTÔME, *Opera completa.* Soc. hist. Fr. 1876, t. I et III.

BRUCK, *Collectio completa Concordatorum.*

BARILLON (Cancellarii Duprat scriba). *Mémoires* a de Vaissière, editi, 1899.

CARDELLA, *Vite dei Cardinali.* (d'Accolti, Pucci, du Prat, de Boisy).

CAUCHIE, *Les desseins politiques de Léon X à son avènement.* (Commissio regalis Belgiae, 1891.)

CANOSSA (Ludovicus DE), *Due lettere.* Archivio storico et. I, app. 306-311.

Catalogue des Actes de François Ier » ab Academia scientiarum moralium et politicarum editus.

CHEVALLIER (Ul), *Les nominations épiscopales au treizième et quatorzième siècle,* 1898.

COQUILLE, *Traité des libertés de l'Église Gallicane.* Burdigalae, 1703.

Concordata inter sanctissium D. N. papam Leonem X et Christianissimum D. N. Regem Franciscum lecta, publicata et registrata in suprema Parlamenti curia, vigesima secunda mensis maii anno Dni MDVIIi.
(Edit. princeps. Arch. Nationales, Parisiis.)

Concordata, etc. Septem editiones. Bibliotheca Nationalis Parisiis. L d 7 ni 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25.

Concordat (le) *entre Notre St Père le pape Léon dixiesme de ce nom et le Tres Chrestien roy Francois, Ier de ce nom.* Translaté de latin en françoys. Parisiis. Gerlier, 13a julii 1521.

DESJARDINS, *Négociations diplomatiques de la France avec la Toscane.* (Documenta inedita historiae Galliae, 1859-1875.)

DUFAYARD, *De Claudii Seisseilii vita et operibus,* 1892.

DUPIN, *Manuel de droit ecclésiastique français,* 1860.

Dupuy, *Traité des droits et libertés de l'Église Gallicane.* Parisiis 1731.

Durand de Maillane, *Dictionnaire de droit canonique.* Diversi articuli.

Ibid., Les libertés de l'Église Gallicane.

Fabroni, *Vita di Leone X*, Pisae, 1797.

Ferrajuoli, *Un breve inedito di Giulio II.* (Archivio della R. Societa Romana de Storia Patria, vol. XVI, 1897.)

Fierville, *Le cardinal Jean Jouffroy*, 1873.

Fleuranges, *Histoire des choses mémorables.....* »

Giorgi (Marinus), *Relazione de* 1517 (cf. Alberi).

Giorgetti, *Lorenzo de Medici capitaneo generale* (Archivio storico italiano, 1883).

Guasti, *Manoscritti Torrigiani.* Florentiae, 1878.

Grégoire, *Essai sur les libertés de l'Église gallicane.*

Gruyer, *Les Chambres de Raphaël*, 1859.

Guicciardini, *Storia d'Italia*, 1882.

Hanotaux (Gabriel), *Instructions aux ambassadeurs à Rome*, Prooemium.

Ibid., Études historiques sur le seizième et le dix-septième siècle.

Hefelé, *Concilien Geschichte.*

Hergenroether, *Leonis X regesta.* Fasc. I-VIII. Friburgi, 1884-1891.

Héricourt (d'), *Lois ecclésiastiques de la France*, Parisiis, 1756.

Imbart de la Tour, *Les élections épiscopales.*

Jovius (Paulus), *Vita Leonis X.*

Ibid., Historiarum sui temporis libri XVI. Florentiae, 1550-1552.

Juste (Th.), *Charles-Quint et Marguerite d'Autriche.* Bruxelles, 1838.

Labbé, *Concilia*, t. XIV.

Le Glay, *Correspondance de Maximilien et de Marguerite d'Autriche.* (*Societas historiae Galliae.* Parisiis, 1839.

Le Glay, *Négociations entre la France et l'Autriche*, t. II. (Documenta inedita LII.)

Leoni, *Vita di Francesco-Maria, duca d'Urbino*, lib. II.

Leva (de), *Storia documentata di Carlo V*, t. I. Venetiis, 1863-1894.

Lettere dei principi. Venetiis, 1571, t. I.

Longueval, *Histoire de l'Église Gallicane.* Parisiis, 1730, t. XVII.

Louise de Savoie, *Journal*, 1476-1522. (Michaud et Poujoulat, V.)

Machiavelli, *Storie fiorentine*, 1895.

Malvasia-Tortorelli, *San Petronio.* Bononiae, 1858.

Mignet, *Rivalité de François I*[er] *et de Charles-Quint*, t. I. III[a] éd. 1886.

Nitti (Franciscus), *Leone X e la sua politica.* Florentiis, 1892.

Ibid., — Documenti e osservazioni riguardanti la politica di Leone X. (Archivio della R. Societa Storia Patria 1893.)

Oriou, *Guillaume Briçonnet.* Strasburgi, 1864.

Ordonnances des rois de France, t. XIII-XV.

Paris (Paulin), *Études sur le règne de François I*[er]. Parisiis, 1885.

Pasquier (chancelier), *Histoire de mon temps*, t. IV.

Pasquier (abbé), *La mission d'Aléandre en France*, 1897.

Pastor, *Geschichte der Päpste*, t. III, Friburgo 1895.

Peignot, *Précis historique et analytique des Pragmatiques, concordats, déclaration, convention et autres relatifs à la discipline de l'Église.* Parisiis, 1817.

Perray (du) *Observations sur le concordat fait entre Léon X et François I*[er]. Parisiis, 1722.

Perray (du), *Questions sur le concordat.* Parisiis, 1723.

Petrucelli della Gatina, *Hist. diplomatique des Conclaves.*

Picot (G.), cf. *Catalogue des Actes.*

Pragmatica Sanctio. Parisiis éd. 1504, 1507, 1546, 1666.

Pragmatique sanction (la), *contenant les décrets du Concile national de l'Église Gallicane, assemblée en la ville de Bourges... avec le concordat d'icelle entre le Roy Tres Chrestien François Ier de ce nom et le Pape Léon dixiesme*, Parisiis, 1561.

Pradt (de), *Les quatre concordats*, t. I.

Prat (du), *Vie du Chancelier Duprat.* Parisiis, 1857.

Ranke, *Geschichte des Papsthum,* 1838.

Raynaldus, *Annales ecclesiasticae.*

Roscoe, *Vie de Leon X*, trad. fr., Parisiis, 1808.

Sanuto (Marinus), *Diaria* a Stephani edita, 1879, 1892, t. XXI, 1515.

Sandret, *Le Concile de Pise.* (*Revue des Questions historiques*, 1er oct. 1883.)

Seché, *Les Origines du Concordat.*

Ullmann, *Kaiser Maximilian Ite*, t. II.

Vasari, *Vite dei pittori.* Florentiis, 1550.

Villari, *Machiavelli.*

Verdi, *Li ultimi anni di Lorenzo de Medicei*, 1515, 1519. Esta, 1888.

Vertot (de), *Origine de la grandeur de la cour de Rome et de la nomination aux évêchés.*

Vettori, *Sommario della storia d'Italia dal* 1511 *al* 1527 (éd. Reumont). Arch. storico italiano. App. n° 21, t. VI.

DE CONVENTU BONONIENSI

MENSE DECEMBRI ANNI 1515 HABITO

Nemo non novit pugnam Marignani commissam rem fuisse in bellis Italicis clarissime gestam; sed ignorant multi hoc facinus quasi gladium fuisse quo Francorum rex nodum illum ruperit Gordianum quem expedire reges et papae centum annos frustra tentavissent, scilicet Pragmaticam quam dicebant Sanctionem. Non Helvetii solum die 14ª septembris victi sunt, sed maxime Leo papa X : mercenarii enim milites munimentum erant quo Franci Romam et Italiam irrumpere tentantes continerentur. Laurentius de Medicis, nepos Pontificis Maximi, Romanis Florentinisque copiis praefectus, qui die 13ª et 14ª nil egerat, cum profligatos socios audivit, exercitum reduxit Bononiam et de pace negotia inchoari jussit. Quibus per menses tres habitis, Leo papa X et Franciscus I Bononiam convenerunt et ibi per dies quatuor de rebus multis politicis, pecuniariis religiosisque collocuti sunt quae ad commercium Franciae cum Sancta Sede pertinebant.

Haec colloquia ab aequalibus, nec in Italia tantummodo, sed per totam Europam, maximi momenti reputata sunt. Ad haec alludunt saepe diaria trans montes aut citra illo tempore conscripta nec non publicae de rebus legationum epistolae quae ad nos usque venerunt. Henricus enim, Anglorum rex, jam bellum suscepturus, Rex Catholicus et imperator Maximilianus qui considerabant quomodo armis absisterent, Margarita de Austria, Bataviae Belgiaeque rectrix, rex Hungariae ab instantibus Turcis compressus, cujus maxime intererat pacem esse in regionibus christianis universalem, senatus Venetorum et principatus Florentinus qui erant regis aut Pon-

tificis Maximi socii, Italici denique principes plus minusve negotiationibus politicis immixti, multa inter se epistolis disputaverunt et legatos suos mandatis instructos Bononiam miserunt qui eos vel de minimis congressus rebus temporibusque certiores fecerunt.

Bononiae, in ipsa urbe, praeter quotidiana Regis Christianissimi Pontificisque Maximi colloquia, erat institutus, tacite quidem et sine lege, Congressus vere Europeanus (qua etiam appellatione usi sunt quidam legati). Veneti, qui omni modo significabant se victoriae auxiliatores fuisse, ad hoc concilium, praeter occultos neque aperte missos ministros, quinque viros delegaverunt. Florentia vero sex oratores misit. Ab imperatore et ab Hispaniae Lusitaniaeque regibus oratores ad papam missi sunt; Ferraria vero Mantuaque venerunt diligentissimi ministri, quorum unusquisque regii generis princeps erat; Hungaria quoque et Polonia episcopi ac praelati sacerdotes; Francorum regem comitati erant marchesius *de Saluces* et dux Lotharingiae, Sancti Imperii princeps. Denique Leonem ac Franciscum egregii utriusque aulae viri publici circumdabant qui habebant et ipsi inter se colloquia (saltem inter epulas quae lautissimae erant) : Dovizzi, cardinalis de Bibbiena; Julius, cardinalis de Medicis; Fridericus, cardinalis San Severino; Ludovicus de Canossa, Tricaricensis episcopus legatusque in Francia; Petrus de Accolti : Antonius Duprat, maximus Franciae cancellarius; Gouffier de Boissy; Guillelmus Briçonnet et Florimundus Robertet, clarissimi jam Ludovici XII[i] Franciscique I ministri; quos circum Gritti, Grimani et alii Veneti, Pandolfini, Vettori, Acciajuoli et collegae eorum Florentini circuibant satagebantque et alii multi diversarum gentium nuntii.

Quatuor illis diebus visi sunt de Italiae, imo de omnium christianarum gentium sorte decernere. Non enim de Parma Placentiaque tantummodo sermonem habent, nec de Brixia Veronaque solum, de ducatu Mediolanensi et de regno Neapolitano, de fortuna Urbini et Florentiae, de opibus Medicorum, de ambitione Ferrariensis ducis et Venetorum Reipublicae. Cum Christianissimus saepe cum externarum nationum oratoribus.

papa quoque cum eisdem haberet commercium, negotia multa ad plures simul gentes pertinentia et quasi universa in medium sunt adducta : scilicet lites Venetiarum cum Imperio, regis Anglorum conditio, foedus quod adversus Francos junctum erat nunc dissolvendum, Venetiarum ac Lusitanorum in partibus Orientis aemulatio, Turcae Hungariam invasuri, Crucis denique bellum suscipiendum a quo abhorrebant omnes, de quo tamen ab centum annis in omni concilio disputabatur : de herede Imperii jam etiam quaestio fortasse fuit (si fides quidem habetur his quae Raphael, pictor clarissimus, in muris *Cubiculorum* suorum exaravit). Ibi rerum publicarum gravissimae tractatae sunt, conscia tota Europa et studiis arrecta. Ad nos tamen multo minus pertinent, in colloquiis Bononiae habitis, illae astutae Italorum aut aliarum gentium inter se machinationes quam alia diversi omnino generis negotia, disputatio scilicet Concordatorum institutorum quibus conditio qua Civitas in Francia contra Ecclesiam uteretur et invicem Ecclesia contra Civitatem primum definita est. Quae congressus Bononiensis ad varias gentes spectantia statuerat, ea quinque post annis eversa jacebant vel in summo discrimine periclitabantur a quo revocari non poterant. Nunc vero, quadringentis post annis, res ecclesiasticas adhuc apud nos regunt ea quae Leoni X cum Francisco I concordata convenerunt, quorum legem praecipuam iterum Bonaparte sancivit, quae anno 1515 tam insolita ac nova fuerat : ut scilicet episcopi, Domini clericorum, a rege designarentur, sed a papa in posterum sine controversia institutionem acciperent. Consensus qui inter Leonem et Franciscum factus est et stipulationes a cardinalibus Pucci et de Accolti cum cancellario Duprat controversae, sunt etiam nunc in principia adhibitae, quotiescumque negotia sunt inter Ecclesiam et Civitatem dirimenda.

Praeter id quod ad rem politicam ecclesiasticamve attinet, conventus aliud in se habet : Bononiae enim sibi occurrerunt, ut ita dicam, artes quae simul renascebantur in ripis Ligeris et Tibridis ; miranda festa fuerunt in quibus Pontifex Maximus, clarissimus ex Medicis filius, et rex, qui Leonardi da Vinci

jam dignus patronus erat, pompis *artis renascentis* usi sunt.

Festa haec magnifica Bononiae data artibusque politicis semper mixta aut disputationibus canonicis adduxerunt in societatem vitae duos coetus virorum inter se moribus longe disparium, quorum nomina nostram memoriam ad res maximas revocant, ad bella triginta annos gesta et ad dolos politicos tamdiu commixtos. Erant enim cum rege comes stabuli de Bourbon qui arma incipiebat exercere; La Tremoïlle, clarissimus miles, jam senescens; Claudius de Guise qui futurus erat maximus in bellis Francisci I imperator; Bayard, eques inclytus; principes de Longueville, nepos clarissimi Dunois, Antonius de Lotharingia (filius erat illius qui Carolum Temerarium, ducem Burgundiae, vicerat); Odet de Lautrech; dominus de Bonnivet et alii multi duces clarissimi. Cum papa viginti stabant Curiae cardinales qui prius fuerant consiliarii terribilis Julii papae II aut a Leone papa X nuper delecti erant, viri in Ecclesia peritissimi, cauti praelati et subtiles : cardinales della Rovere; Petrus de Accolti, vir doctissimus; Laurentius Pucci; Bernardus Dorizzi; Julius de Medicis (qui fuit postea Clemens papa VII) et Alexander Farnese (qui fuit postea Paulus III). Quorum congregatio congressum Bononiensem jam non parum illustrem facit.

Ipsum autem congressum inspicienti (cujus minima etiam tempora et conditiones referemus) declaratur illius aetatis ingenium; viri enim publici et clarissimi duces, nuntii et clerici renascentis aevi mores prae se ferunt. Inter negotia papa regi sedulo commendat Joannem Lascaris, virum illum eruditissimum. In colloquio quodam de Pragmatica Sanctione habito vel de ducatu Urbini, « Christianissimus » curam adhibet ut sibi celeberrima Laocoontis statua, recens inventa, donetur : regem Bononiam venientem Leonardus da Vinci secutus est. Adsunt quoque Paulus Jovius et clarus poeta Ariosto. Nonne omnia haec nobis sufficerent ut congressus dignus studio nostro videretur?

CAPUT PRIMUM

DE CONDICIONE GALLIAE ET SANCTAE SEDIS, IMMINENTE CONVENTU BONONIENSI

I. De condicione regni Franciae et Sanctae Sedis quod attinet ad proelium Marignani commissum.
II. De rebus politicis.
III. De rebus ecclesiasticis inter papam Leonem et regem Franciscum Bononiae tractandis.

I.— Nulla unquam aetate difficilius inter Galliam et Sanctam Sedem fuit commercium quam in ultimis Julii papae II temporibus : imo nunquam societas earum Civitatum apertius atque acrius dissoluta est.

Ab centum ferme annis pontifices et reges dividebat controversia de Pragmatica Sanctione et de Ecclesia Gallicana quae sui juris volebat esse. Non mihi erat edisserendum unde regum et totius gentis vindicationes quas dicebant Gallicanas ortae essent neve quomodo per octingentos annos augmentum cepissent, nec quomodo in illis maximam curam suam et studium posuissent Parlamentum, Universitates, omnis ordo clericalis et saepissime ipsum regis concilium. Quae enim alii tam bene descripserunt mihi lubricum fuisset rursus attingere (1). Satis sit hic dicere Gallicanos, incipiente xv° saeculo, doctrinis concilii Basileae habiti incensos stare victores, eversis in perpetuum , ut videbatur, impedimentis, afflicta Roma et imbelli; Gallicani etiam videntur tunc mentem occupasse debilium

(1) Cf. Gabriel Hanotaux, *Instructions aux ambassadeurs à Rome. — Introduction.* Hoc prooemium optima et jucundissima historiae Gallicanismi expositio nobis esse videtur. Quasi omnino ad conclusiones hujus egregii operis accedimus.

faciliumque virorum rebus Galliae praefectorum et, invito fortasse Carolo VII, Pragmaticam Sanctionem edidisse (1). Quae, post concilium Gallicanum Bituricense statim, 7ª julii anno 1438, edita est et instauravit in Gallia electiones canonicas jam in universo orbe christiano auctoritate concilii Basileae restitutas : electus a canonicis episcopus unum metropolitanum institutionem suam postulabat : abbates capitula monasteriorum sibi deligebant : sustulerat Pragmatica *gratias* quas dicebant *expectativas* et alias *mandato* dictas, duo scilicet instituta vi quorum Pontifices Romani in conferendis beneficiis partem habebant. Nemini jam licebat papam *appellare* nisi omnes inferiores judices ex ordine adiisset : hanc praeterea facultatem aliae multae leges coercebant : decennis denique articulus, quo decretum concilii Basileae vulgabatur, *annates* abolebat, scilicet fructuosa tributa ex quibus Sancta Sedes maximas opes suas trahebat. Galliae igitur haec tam aperta doctrinis Basileae adhaesio non solum Romanae Sedis minuebat praestantiam, sed spiritualem quoque potentiam qua maxime confidebat : ejus in animos imperium et lucrum coercebat. Pragmaticae causa, Romanus Pontificatus amiserat emolumenta certamine illo parta quod per annos octingentos sustinuerant tam multi et clarissimi Pontifices ut Romana ecclesia non tantum supra ceteras christianas ecclesias emineret, sed etiam eligendis episcopis et administrandis ecclesiis praeesset. Romae praeterea timendum erat, cum ditissimam in orbe christiano regionem videret a sua eripi injuria, ne reliqua Europa christiana perniciosum exemplum imitata in similem rebellionem se conjiceret.

Quamobrem nemo miratur Eugenium papam IV et Pontifices post eum rara constantia ruinam illius constitutionis molitos esse quam Romae *calamitatem Bituricensem*, *Haeresim*, *Schisma et detestabilem pestilentiam* appellabant (2).

(1) *Ordonnances des Rois de France*, t. XIII ; HANOTAUX, *Introduction*, XXXVII-XL; DE BEAUCOURT, *Histoire de Charles VII*, III, 333-383.

(2) Epistolae manuscriptae Eugenii papae IV ad Carolum, Christianissimum Regem. Arch. Vat. Miscellanea, Arm. XXXI, t. 46.

In posteriore xv[i] saeculi parte sederant in cathedra Petri Pontifices qui tum apud se, tum in publicis rebus satis variae indolis erant : omnes tamen actum istum Sanctae Sedi tantopere noxium delere aperte aut occulte tentaverunt.

Frustra autem, Eugenio IV Sedem Apostolicam occupante, multa apud Carolum VII instanter et saepius tentata sunt (1); reges non adeo sibi confidebant ut a viris multis et potentibus et deliberate Pragmaticam tuentibus, a Parlamento, ab Universitate Parisiensi et ab episcoporum coetu auderent desciscere.

Pius II, qui maximus et callidissimus in saeculo illo fuit Pontifex, speravit sibi rem bene successuram. Usus enim animorum conversione quae, defuncto Carolo rege VII, erupit in leges ab illo institutas, effecerat ut Ludovicus XI, rex factus, aperte Pragmaticam abrogaret (2). Sic rex stabat contra papam in conditione optima : quippe qui, servatis in Gallia omnibus Pragmaticae commodis, jure posset pietatem atque obedientiam suam erga Romam asseverare. Sixtus autem IV, qui primus ex illo asperrimo genere *della Rovere* claruit, ut finem his ambagibus ex utraque parte imponeret, alterum Ludovico XI foedus proposuit ; quod foedus res tanti momenti regi tunc concedere videbatur ut huic adhaerere non dubitaverit Ludovicus.

Pactio illa sub fine anni 1472 composita, quam Gallicani tamdiu et ad nostram usque aetatem Ludovico XI erant sceleri daturi quia primum cum papa politicam quam dicebant *concordatoriam* innovavisset, eximiam regis prudentiam demonstrabat : sed ei pactioni parere non licuit. Nam, sub fine anni 1473, controversia de rebus Italicis iterum inter Christianissimum et Sanctam Sedem orta est, cum etiam longo intervallo opus erat antequam nova pactio Parlamento in tabulas referenda porrigeretur ; quam quidem in eas referre negavisset. Quare stetit Pragmatica lex Civitatis : infra autem videbimus quatenus sinceri, religiosi et felices fuerint in lege

(1) Epistolae Eugenii papae IV jam citatae.
(2) Oratio Pii II seu responsio dicta cardinalibus regis Franciæ, in consistorio publico » Arch. Vat., Arch. Borghèse, I, 770.

Pragmaticae utenda. Jam Sixtus IV heredesque ejus usque ad Leonem X mala frustra precari, vehementia declamare vel questus miserabiles edere non cessabunt, de pace agere volent, minas etiam jactabunt ; Ludovicus autem XI et duo proximi heredes regni ejus nunquam cogitaverunt vel minimam ex libertatibus illis Ecclesiae Gallicanae derelinquere, quas partem esse regii patrimonii sacram et verendam reges illos Gallicani admonebant.

Praeterea, jam in ultimis Ludovici XI temporibus, id religionis negotium difficultatibus aliis, quae inter varias gentes erant, implicatum erat. Hactenus in disputatione mere ecclesiastica *Christianissimus* tantum et *Pontifex Maximus* alter cum altero contenderant. Lites vero externae eae erant quae cum temporali domino regni Romani petitorem, dominum etiam interdum regni Neapolitani et ducatus Mediolanensis committerent. Inde igitur negotia politica ecclesiasticis mixta conturbantur.

Anno 1461, Ludovicus XI confidens, ut aiunt, Sanctam Sedem Renato Andegavino Neapolitanum regnum affectanti fautorem in Italia adfore, huc etiam provectus erat ut *Romae regi* idipsum concederet quod rex proxime superior christiano Pontifici negaverat. Neque in re inest quidquam incredibile, sed pro explorato afferre possumus pacto anni 1472 multum obfuisse cruentam illam pugnam quam adversus Medicos, Ludovici XI socios, Sixtus IV in Italia gessit.

Similem agendi rationem Carolus rex VIII et Ludovicus XII tenuerunt.

Bellorum in Italia gestorum varias fortunas referre parum ad rem nostram conducit : in quibus Romani Pontifices nunc Carolo VIII ac Ludovico XII adversati, nunc eorum facti socii, non aeque semper sunt rebus prosperis usi nec fideles semper inventi sunt ; nunquam sane vere amici exstiterunt. Fuerunt anni cum papa Gallos esse in Italia passus est, repugnante Sancta Sede. Julium II, terribilem illum pontificem, id manebat ut bellum illis infensissimum indiceret : tunc enim variis de causis facta est multo saevior hostilitas.

Asperrima enim et vere acerbissima haec pugna in Italia ex politicis negotiis exorta multo magis propter religiosa negotia exarsit : rex enim 1[a] novembris, anno 1511, Pisam *concilium reformatorium* convocavit quod Mediolani postea congregatum est (1) : Pontifex vero in diem 3[am] maii, anni 1512, *concilium Lateranense* edixit quod hunc sibi finem inprimis proponere videbatur ut Pragmaticam et Gallicanam haeresim condemnaret. Coactum a Ludovico XII concilium papam ipsum ex sanctissimo officio amoverat, sed Julius II bulla 20[a] martii anno 1521 solenniter data regem haereticum et impium et ejus familiam corona Franciae exuerat ad Henricum VII, Anglorum regem, translata (2). Inde atrox bellum Romae erat cum Gallia; in Romana enim aula tremendus pontifex durissimo odio unumquemque in Francos accenderat. Ludovicus XII in Italia victus, Peninsula denique expulsus, timere jure poterat ne tota Europa christiana, Pontifici socia, Galliam invaderet; cum praeterea concilium Lateranense erat Pragmaticam solenniter condemnaturum, repente 21[a] februarii, anno 1513, Julius II, qui erat quasi anima et caput hostium Galliae, Romae obiit.

Tunc coetus cardinalium in conclave congregatorum Joannem de Medicis elegit qui Leo X appellatus est et inimicus Galliae esse tunc existimabatur (3).

Revera novus ille Pontifex ab acerbissimis acrimoniis et tenacissimis odiis defuncti papae prorsus abhorrebat, facetus, interdum incertus animi, non adeo labori deditus, amator expectationum et morae, docilis consiliis eorum qui circa eum stabant; quem venatus apparatissimi, lautissimae epulae, magnificentissimi ludi et splendidae caerimoniae delectabant. Nec bella acerbissima nec disputationes theologicae eum juvabant, sed potius jucundae comoediae et facundae ora-

(1) Sandret, *Le Concile de Pise* (*Revue des questions historiques*, 1[er] octobre 1883).

(2) *Bulla Julii papae II,* Arch. Vatic., Archivio del Castello; Ferrajuoli. *Un breve di Giulio II*, Archivio della R. Societa storia patria. Vol. XII, 1897.

(3) Petrucelli della Gatina, *Histoire diplomatique des Conclaves*; Longueval, *Histoire de l'Eglise Gallicane*, t. XVII.

tiones. Loco ejus, ministri gerebant rem politicam, agendi rationem tenentes qua Sancta Sedes a saeculis multis in Italia utebatur, hoc scilicet unum curantes ut nulla de causa Mediolanumet Neapolis uni atque eidem principi subessent (1). Propter hanc curam papae olim fuerant domui de Hohenstaufen et recentius Ludovico XII adversati, nec quidquam in rebus conventus Bononiensis magis Leonem X poterit impellere ut jure suo aliquando decedat quam voluntas ea Franciscum I a regno Neapolitano prohibendi.

In primis erat de pace agendum : hoc Ludovicus XII, hoc Leo X cordi habebat (2). Hic in Galliam misit cardinalem francum de Gubé, Namneticum episcopum, olim propter suam fidelitatem ad papam a Ludovico Gallia pulsum, qui erat patriae suae devotus et supererat quasi vinculum unum inter duo regna. Quo misso nuntio, Leo X, ut animum pacificum demonstraret, vetuit, in sexta sessione concilii Lateranensis, patres quidquam de Pragmatica disputare (3). Tunc, permissu Ludovici regis, duo e concilio Pisae cardinales, Carvajal et San Severino venerunt in concilio Lateranensi veniam postulaturi. Quibus excommunicatione solutis mox papa omnia beneficia restituit (4). Sed cum hostis fines Galliae occuparet, rex iterum Novarae et postea Guinegatae victus operam dedit ut sibi Leonis X adjutorium conciliaret. Mense augusto anni 1513, Claudius de Seyssel, episcopus Massiliensis, Romam cum agendarum rerum licentia missus est qui, nomine regis,

(1) Francesco Nitti, *Leone X e la sua politica.* Hoc est optimum opus de pontificatu Leonis X recentius editum; De Leone cf. Paulus Jovius, *Vita Leonis X*; Roscoe, *Vita et pontificatus Leonis X* (1805); Audin, *Vie de Léon X*, 1844 Cf. quoque, *Alberi*, *Relazioni*, série II, Vol. III°.

(2) *Julius de Medicis ad Julianum de Medicis, martio* 1513; Arch. di stato, Florentiis, Carte stroziane, Filza XIII, f° 205.

(3) Paris de Grassis, *Diarium.* Arch. Vat., Miscellanea, Arm. XII, t. XXII, f° 40.

(4) *Ardinghelli ad Dominum Ghoro de Pistorio* 28 marzo 1514. (I. Manoscritti Torrigiani, ed. Guasti f° 43). — *Julius de Medicis ad Julianum*, 31 marzo 1514, 9 aprile 1514. Arch. Flor. Carte stroziane, filza III, f° 305 et seq. — *Leo papa X ad Ludovicum XII. Leo papa X ad varios reges. Leonis X brevia.* Arch Vat, Arm. XLIV, 2, 5.) Paris de Grassis, *Diarium*, Arch. Vat. miscel Arm. XV, t. XVII, f° 404; t. XXIII, f° 51-54. Brantome, t. I, p. 142.

decretis concilii Lateranensis assentiretur (1), Pisanum vero conventiculum publice improbaret et culpam regis saevitiis Julii II defuncti assignaret. Litterae improbationis et assensionis in octava sessione concilii recitatae sunt (2). Jam Leoni X certum esse visum est recta via ad plenam concordiam tendere, eo magis quod confidebat se Francos sic novo impetu in Italiam prohibiturum; quem revera impetum Ludovicus XII facere cogitabat, sed 31ª decembris, anno 1514, mortuus est et regnum Francisco, duci Engolismae, consanguineo suo ac genero, reliquit.

Jam a multis mensibus juvenem hunc principem Curia Romana colebat necnon matrem ejus Aloysiam de Sapaudia quam omnes rectricem regni Francorum fore praevidebant.

Die 11ª januarii, Leo X novum regem inchoatum regnum gratulari festinavit (3); praeterea Ludovico de Canossa, Tricaricensi episcopo et a mensibus paucis nuncio in Gallia misso, mandavit ut easdem gratulationes voce regi eloqueretur. Romae bona multa de novo regno augurabantur cum rex voluptatibus magis quam negotiis deditus putaretur. 9ª januarii, Julius de Medicis Tricaricensi scribebat spem romanae curiae omnem in juveni rege reponi ; illum scilicet Ecclesiae christianae protectorem fore et inceptis praedecessoris ejus in Italiam desciturum. Addiderat consobrinus papae de spe a se concepta regem domui Medicorum fauturum et sibi in primis cardinali de Medicis (qui tum sedem episcopalem in Francia appeteret)(4). 16ª januarii, cardinalis amabilissimis imaginibus delectatus eadem de rebus futuris ominabatur. Jamdudum papa, aiebat, oculos in regem Franciscum converterat, quem prae omnibus ut filium acceptissimum diligeret; et alia multa. Romae revera animum in Francos propensissimum papa adeo

(1) Cf. Dufayard, *De Claudii Seisselii vita et operibus* 1892, pp. 25-26.

(2) Paris de Grassis. (Arm. XV, t. XXIII, fº 55) — *Julius ad Laurentium de Medicis*, 20 déc. 1514. Arch. Flor., Arch. Mediceo. Filza LXVI, fº 291.

(3) *Julius ad Robertum Acciajuoli*, 4 avril 1514 : Man. Torrigiani, éd. Guasti, p. 44. — *Leo Papa X ad Franciscum Francorum regem*, 11 januarii 1515. *Leonis Brevia*. Arch. Vat., Misc, Arm. XLIV, t. V.

(4) *Julius de Medicis ad Tricaricensem episcopum*. 9 januarii; Desjardins, *Négociations avec la Toscane*, p. 686.

apertissime profitebatur ut questi sint in Germania quod tam Francus esset : hoc etiam crimine in litteris ad nuntium Leonis X qui erat Vindobonae papam sic quidam purgat : « *Dico*, ait, *che io non mi ricordo havervi mai scritto che Nostro Signore dovesse essere piu Francese che Spagnolo perche da qualche tempo indietro non ho conosciuto S. S*[ta] *pender piu qua che la e ben vero ch'io ho trovato qualche volta la S. S*[ta] *molto Francese, ma non credo haverla gia mai scritto, ne anche a detto seno piu con uno che altro legati, se ben se inclina con lo animo piu in una che altra banda* (1). »

Res erat qua papa innixus tam facile omnia optima fore sperabat et quae eum tam Francum faciebat : nuptiae scilicet quae tum instabant, Juliani, fratris ejus, cum Philiberta de Sapaudia, Aloysiae sorore multo juniore et regis matertera : quae nuptiae regem et papam magis conjuncturae videbantur et domum Medicorum elaturae.

Ludovicus de Canossa, quantum potuit, miras illas Curiae Romanae visiones minuere conatus est. Jam, 12[a] januarii, scribebat « novum regem de impetu in Italiam faciendo ardentius rege altero et gravius locutum esse et significasse velle se quolibet modo in possessionem Mediolani et Genovae redire (2). »

Principibus quoque, quorum intererat Francorum regem arceri Italia, illa fuerant nuntiata; nam rursus in Franciam conjurabatur. 12[a] februarii, anno 1515, Maximilianus Sforza, qui dux Mediolanensis erat, Rex Catholicus, Imperator et Helvetii societatem fecerunt, cui ut cohaereret sine mora oratores conjuratarum gentium Romae papam studiose sollicitaverunt. Qui, litteris illis nuncii ad se delatis, jam non poterat animi sui erroribus falli; ambigebat tamen, consiliariis non eadem sentientibus. Reipsa Leo prope decreverat aliquid, ut ita dicam, igni vorandum concedere, id est, Fran-

(1) *Julius ad Verulanensem*, 12 januarii 1515. Arch. Vat., Nunziature. Nunziatura di Germania, t. I, p. 13.

(2) *Ludovicus de Canossa ad Papam*, 12 januarii 1515. Arch. Vat., Nunziature, Germania, t. I, f° 13.

corum regem ducatus Mediolanensis dominum agnoscere : duo autem sibi optabat, ut Parma Placentiaque Sanctae Sedi concederentur et regnum Neapolitanum Franciscus renuntiaret. Sed cladem se posse accipere praevidebat si foederi adhaesisset et tunc, si rebus adversis usus esset, posse etiam ruina collabi ea quae animo proposuisset. Voluit igitur, antequam certum consilium caperet, videre an neutrum negotium posset placide expediri. Hoc confidebat a se impetrari posse ut rex regno Neapolitano cederet, non ut regi Ferdinando regnum daretur, sed principi quem Sancta Sedes et Francorum rex elegissent : qui nemo praeter Julianum esse posset.

Voluntate tantum igitur conjurationi adhaesit et expressius consilium in alia tempora produxit.

Inter has moras Ludovicus de Canossa in ea quae sibi fuerant Parisiis proposita animum intendebat. Praelatus iste primo bene succedere visus est, utpote qui inter callidissimos publicorum hujus aetatis virorum haberetur, peritus, tenax, insidiosus, dignus denique cujus ingenio vir aliquis studeat eum in medium prolaturus (1). Invenerat enim regem Franciscum paratum non modo ad inserviendum papae, sed et ad ejus societatem expetendam : lugendos praedecessoris casus rex, monitus exemplo, minime et ipse subire cupiebat. Officia autem sibi regio munere imposita difficiliter servaturus videbatur, jus quoque suum integrum vindicaturus nec propter societatem Summi Pontificis ulla dominii sui parte cessurus.

Ad Julianum primo Ludovicus de Canossa confugit : 14ª februarii, ei scripsit ut medius exsisteret inter papam qui semper hortationi fratris aures daret et regem quem nunc arcta propinquitate complecteretur (2). 21ª februarii, Tricaricensis episcopus papae scribebat regem adhuc propitia voluntate

(1) Vettori, *Summaria.* Epistola dedicatoria ad Ludovicum de Canossa « il quale e cosi nobili, buono e degno prelato come ne abbi conosciuto un altro ».

De illo nuntio amplius locuturi sumus : epistolas enim Ludovici de Canossa per suam nuntiaturam in Gallia posterius edituri sumus.

(2) *Ludovicus de Canossa ad Julianum de Medicis,* 14 februrii 1515. *Lettere dei Principi,* t. I, f. 11-13.

esse, sed blanda tantummodo verba daturum (1). Tunc Leo Aloysiam de Sapaudia patronam adhibere cogitavit et mandatis ad hoc Tricaricensis episcopus instructus est (2). Qui rem matri regis aperuit et Aloysia aliqua verba in aures regis injecit. Hic vero, qui nobis ita constans et sincerus ad omnia semper apparebit, expresse et prope dure negavit : Florimundus enim Robertet, qui erat inter praecipuos regis ministros, delegatus est qui nuncio significaret regem regnum Neapolitanum, quod ad Franciae coronam pertineret, deserere non posse ; Julianum vero, qui petitorem se tam aperte profiteretur, regno hujusmodi regendo imparem videri. Addidit regis minister expeditionem Italicam facere jam Francisco certum esse ; qui nempe statuisset totum ducatum Mediolanensem cum terris quae conjungerentur rursus occupare. His de rebus statim cardinalem de Medicis et Julianum certiores nuncius fecit (3).

His responsis confirmatae sunt formidines quas papa conceperat, et res ruerunt quas tanto studio prosequebatur. Imo fieri poterat ut rex, qui in commoda papae sic peccasset, voluntatem suam ab eo averteret. Sed papae non morosa bilis erat : nona sessio concilii et decima habitae erant, nec Leo X siverat Pragmaticae mentionem inchoari, cujus ruinam et Patres concilii et Curiae praelati exposcebant.

Papa igitur ad omnia prudentem se et facilem etiam praestiterat : quare non immerito apud nuncium querebatur quod Franci tam suspiciosi et tam malevoli essent (4). Ipsi vero Franci jure non confidebant papae qui, 14ª julii, palam intravisset in societatem adversus Christianissimun junctam nec tamen inchoata negotia dereliquisset. Dux Sapaudiae, pacificus vir et officiosus, medium se obtulit inter Sanctam Sedem et

(1) *Ludovicus de Canossa ad Leonem X*, 21 febr. 1515. *Lettere dei Principi*, t. I, f. 14.

(2) *Mandata Leonis X ad Ludovicum de Canossa*, 24 febr. 1515. Arch. Vat., Nunziature, Germania, t. I, fº 1.

(3) *Ludovicus de Canossa ad Julianum*, 20 aprilis 1515. Arch. Flor., Man. Torrigiani. Busta IIª inserto 4º: *ad Julium*, 23 aprilis 1515. Archivio storico Italiano 1842.

(4) *Leo papa X ad Ludovicum de Canossa*, 13 junii 1515, 5 julii 1515. Arch. Vat. Nunziature, Germania, t. I, fº 42, 54.

Francorum regem : cui ultimatum papae Julianus detulit. Erant eaedem condiciones quas, tribus antea mensibus, de foedere jungendo nuncius proposuerat, ut scilicet Parma et Placentia Sanctae Sedis essent et negotia Neapolitana ad mentem papae conficerentur. Canossa autem et Pandolfini (orator Florentiae, quae cum papa foederata erat) jussi sunt trans Alpes regem comitari.

Rex Alpes admodum ex improviso transiit, Prosperum Colonna Romanum incautum cepit, pedem Helvetios referre coegit et in regione Longobardorum consedit, quo ut veniret socii Veneti, Ferrariae dux et Mantuae marchesius eum dudum vocabant. Jussus est Laurentius loca, in quibus exercitum collocaverat, otiosus tenere, etsi cardinalis de Medicis, acrior caeteris, eum ad bellandum excitabat (1).

Romae igitur pacem abrumpere statutum videbatur. Postquam enim multum fuerat tergiversatus, papa legatum ad se Venetorum, 2ª septembris, vocavit : « Domine orator, ait illi, consummatum est (2). » Postridie se pro hoste gessit, missis ad Helvetios quinquaginta millibus florinorum : qua etiam die, coram Venetorum oratore, Francorum regem ore timido increpat qui esset unus, ait, reus discidii, cum oblatam a Sancta Sede societatem vel contumeliose sprevisset ; exclamavit etiam se *tiara potius quam Parma et Placentia cessurum* (3), verba grandissima quae minime, ut apparebit infra, res confirmavit. Papa, qui erat revera nimium anxius, clamorem, more paventium in tenebris, edebat ut animum suum erigeret. Volebat quoque oratorem Venetorum commovere cujus relatio per Senatum Reipublicae ad regem usque Francorum devenire posset. Quare quandocumque Marinum Giorgi arcessit, papa se esse hominum promptissimum nuntiat (4).

Ille vero pontificalis exercitus, quem papa immodicis laudi-

(1) *Julius ad Laurentium*, 27 aug. 1515. Desjardins, p. 725 ; *Pandolfini ad Decem Viros*, 26 aug. 1515, Desjardins, p. 718.

(2) Marin Giorgi, *Litterae*. 2, 3 sept. 1515, Marin Sanuto, *Diario*, t. XXXI, col. 52.

(3) Marin Giorgi, 4, 5 sept.; Marin Sanuto, t. XXXI, col. 54.

(4) *Ibid.*

bus extollebat, tempus moris longissimis trahebat quae videbantur a quibusdam Pontificis consiliariis esse de industria constitutae. Quanquam Helvetiorum duces et Hispanarum copiarum praefectus Raymundus de Cardona rursus Laurentium instanter in auxilium suum vocabant, iste paululum progressus statim pedem retulit quod Florentia nollet adversus regem praelium committere (1). Ceterum perseverabant regem Francorum clam adire legationibus. Ipso tempore cum undique Franci milites ad pugnam se accingebant et rex ipse equum conscendebat, Canossa non dubitavit eum ipse adire et ei, ut videtur, incepit edisserere jura a papa perpetuo repetita, ut scilicet Parma, Placentia et regno Neapolitano Franciscus cederet. Rex enim, qui jam equum ascensurus erat, orationis impatiens et oblocutus episcopo : « Nequeo, ait, disputationem hujusmodi hodie conficere : oportet in praelium abeam. Si victus fuero, non erit Papae molestum mecum de pace agere; si vicero, eadem volam quae et nunc volo; non adeo me res secundae efferent ut tunc condiciones mutem quas Beatissimo Patri propono. » His dictis, equum rex conscendit et profectus est (2). Nuncius in castris remansit et videtur sat placide expectasse quem exitum fortuna esset pugnae datura. Post triginta horas, rex Helvetios in agro Marignano vicerat. Ardenter utrinque dimicatum est : sub finem prioris diei, Helvetiorum copiae prestabant; 14 autem septembris, felix adventus ducis Venetorum L'Alviano pugnae fortunam ad Francos eorumque socios convertit.

Nunc erant in conspectu rex et papa civiles et ecclesiasticas controversias, quae tot abhinc annis Sanctam Sedem et Christianissimum dividebant, soluturi.

II. — Postridie praelii Marignani commissi erat mira rerum condicio. Nam hostibus illis nulli unquam longioribus moris,

(1) *Balt. da Pescia ad Laurentium*, 27 aug. 1515. Arch. Flor., arch. Mediceo. *Helvetiorum duces ad Julium*. 31 aug. 1515. Arch. Flor., *Lettere esterne alla Signoria*, Responseve. 12, f° 274. Vettori, *Sommario*, f° 309. *Julius ad Laurentium*, 8 sept. 1515, Arch. Mediceo. Filza CXIII.

(2) Vettori, *Sommario*.

temperamentis negotiisque erant usi; nullum unquam bellum minus apertum. Victus sane erat Leo papa, non ipse quidem, sed socii; nam Franciscus rex rationem habere debebat inertiae in qua Laurentius de Medicis torpuerat cum Romanis Florentinisque copiis. Quis enim conjicere potest qui fuisset rerum exitus si agmen pontificale Helvetiis subvenisset cum dubium certamen potius in bonum eorum cedere videbatur? Quomodo vel dies posterior successisset si Laurentius exercitui Venetorum obstitisset et prohibuisset ne Francis auxiliarentur? Nihilominus erat Pontifex gravissima Helvetiorum clade afflictus et praesertim effusa eorum fuga Romae nudatus et derelictus.

Regis jam non est impedita via, quoniam dux Mediolanensis Maximilianus, positis armis, hoc unum agit ut se dedat et regno abdicet. Hispanae copiae, quas earum dux in subsidium Helvetiis noluerat committere, cum illi valebant et audaces erant, periculum non facient.

Pontificali vero exercitu debiliore facto et Florentinis nolentibus cum rege depugnare, amborum exercituum qui dux unus erat cogitat ex universa clade suam capere utilitatem. Maximilianus autem imperator, coacto nondum exercitu, bellum gerit in Venetos, Brixiam et Veronam obsidentes : cujus haec erit impudentia ut relatam de Helvetiis, ipsis sociis suis, victoriam regi gratuletur. Dum Romae papa conjunctissimum se esse cum republica Venetorum, regis socia, ostentat, cui omni modo occulte officit, simulat Maximilianus cum Rege Christianissimo amicitiam et cum nemine praeterquam cum Venetis sibi rem esse fingit : Florentia autem contendit se cum papa foederari potuisse nec regi Francisco tamen adversatam esse. Ferdinandus copias suas, postuam sociorum cladi quasi spectaculo interfuerunt, revocat nec ceteris conjuratis animi consilium aperit. Ergo, non fuerunt unquam socii qui tam facile inter se proderent, nec conjurati qui tam parum conspirarent. Rex Franciscus jam non obvios habet nisi viros ignaros qui aut retrocedant aut deditionem faciant; rerum igitur arbiter est. Novit vero quanti sit laboris bellum in Sanctam Sedem

gestum ad extrema omnia deducere; bene etiam ei apparuerat, regnante rege priore, quid reportarent qui cum Roma comminus dimicarent. Regnum praeterea modo adeptus est et de rebus multis cogitat quarum cura eum in Galliam revocat. Vult solum, occupato ducatu Mediolanensi, sociis satisfacere, regiones de quibus ambigitur in potestatem suam reducere et, antequam ex Italia cedat, congredi cum papa ut tot tam dudum pendentia et tam diversi generis negotia expediat.

Socios habuit Mantuae marchionem, Senatum Venetorum, ducem Ferrariae, serius autem ducem Urbini, Franciscum della Rovere, qui papam, dominum suum, modo deseruerat ut regi adhaereret.

Marchio vero Mantuae, vir prudentissimus, nil postulat nisi ut in amicitia regis stet et rursus benevolentia papae fruatur. Veneti alia cupiditate flagrant : qui ab annis centum sibi semper aliquid, urbem vel agrum vel provinciam vindicarunt; nunc autem ab Imperatore Veronam Brixiamque recipere Respublica desiderat, quae urbes, tempore conjurationis Cameracensis, ejus imperio detractae fuerant : libenter etiam Cerviam Ravennamque a Julio papa II olim occupatas repetat; sed foedus, quo conjuncta cum Francisco rege est, nil adversus Sanctam Sedem habet : in Helvetios solum et Ferdinandum Veneti cum Christianissimo sunt conjuncti, et rex sibi Venetos tantummodo adversus Maximilianum imperatorem adscivit. Jus vero suum tanto ferocius Respublica Sancti Marci feret quanto major opera Venetorum in pugna fuit; a rege igitur petit ut papae instet de urbibus illis ab Imperatore reddendis quae nunc obsidione premantur. Revera Senatus regem et papam vult consentire, sed nec artius nec citius, ne si ita fiat, non satis lucri e foedere suo cum Gallia Veneti trahant. Qua de re dux Ferrariae cum Venetis consentit, nec putat Christianissimum et Pontificem majore amicitia jungi oportere quam ut sibi Mutina et Regium reddantur. De duce Urbini non satis constat quid appetierit, prodito papa qui dominus ejus, non mere socius erat; nunc autem eum decet nil sibi nisi veniam et oblivionem optare.

Rex ipse ducatus Mediolanensis et agrorum omnium qui ad eum pertinent, Parmae scilicet et Placentiae, possessionem sibi confirmari cupit. Noluit unquam, vel cum has urbes tantummodo affectabat, vindicatione sua desistere, nedum jus tam fortiter assertum tunc deserat, deditis urbibus et fugatis copiis quae eas tuebantur. Numquid in praesentia imperium suum latius proferre intendit? Praeter verba illa quae, mense aprili, rex nuncio Canossa responderat, nihil est quo quis demonstret Franciscum tunc multo majora executum esse consilia et regnum Neapolitanum in suam ditionem redigere cogitasse. Ferdinandus moribundus jacet et hereditas ejus mox ponetur in medio. Rex autem Francorum amicitia conjunctus est cum Carolo, rege Castelliae, quem omnes successorem imperatoris fore arbitrantur; rex quoque vehementer redire in Galliam cupit. Ceterum, explorantibus nobis quae sequuntur, plane compertum fiet regem minime voluisse ad fretum usque Siculum progredi.

Tamen iste de Neapoli timor per menses tres mentem papae tenaciter occupabit. Fecit enim Franciscus ut Pontifex omnia reformidaret et sic eum, inscius fortasse, mire inclinavit ut omnia concederet. Papa reclamabit quidem. Sed, statim post rem Marignani gestam, secum statuerat Parmae et Placentiae jacturam facere, licet jura quaedam in eas sibi servare tentaverit. Bononiae autem (quam in urbem veniet spe regem facundia illa sua capiendi) non jus ullum spirituale vel temporale non deseret eo consilio, ut videbitur, ut bellum crucis promoveat, revera quod timebat ne expeditio in Neapolim fieret.

Constat consiliarios papae hostilem animum in Franciam gerere; rem omnia comprobant. Sic Bibbiena et Julius de Medicis (his nominibus contenti simus) nunc foederi cum Francia jungendo non favent. In hac tamen eorum repugnantia modus est; nec stulti adeo sunt ut non caveant ne aliquando Franciscus equo bellico insidens Romam Porta Populi et ipse ingrediatur.

Nempe non desunt post victoriam Marignani viri in domo

papae amplissimi qui pacem stabilire omni modo quaerant vel etiam regem Franciscum et papam Leonem foedere sociare. Quorum in primis sunt Medici. Laurentius nec praejudiciale odium nec favorem in quemquam concipere potuit, fatuus, parvi vel apud Leonem papam avunculum aestimatus; sed mater, Alphonsina Orsini, filium summo amore complexa, eum inclinat qua fortuna oritur et opes apparent. Quamobrem Laurentius copiis adversus regem missis praefectus ad hostem sine dubitatione transibit : in gratiam Christianissimi quaerit multo studio irrepere ut proprium sibi principatum obtineat. Mutinam et Regium forte appetit ; certe vero Urbinum affectat cujus dux jam damnatus est : quas urbes occupari unus Franciscus effectu aut tacite sinere potest.

Florentini autem adversus Francorum regem inviti processerant : orator eorum qui Romae adest, Robertus Acciajuoli, amicus Francorum est apud quos diu Reipublicae legatus conversatus est; quem Florentini prius monebant ut papam mitigaret; nunc autem hoc munus adimplendum accepit ut, salvis quae ad Rempublicam pertineant negotiis, Pontificem, quibuslibet adversantibus, in partem pacis impellat. Medicorum factio, quae in principatu est praestantior, tota pacem appetit, ita ut Pandolfini et Vettori conentur omnimodo ne bellum aliud fiat. Popularium quoque factio, viris amissis qui eos regebant, ab annis decem regi Francorum clientes inserviunt et eum colere consueverunt. Tota igitur civitas dedita paci est et vires omnes adhibebit, si opus fuerit, ut papam et Medicos ad pacem inclinet.

Vir denique est apud Pontificem qui ante congressum Bononiensem nonnullos menses personam amplissimam sustinebit, Marinus Giorgi, serenissimae Venetorum Reipublicae orator. Quem ejus epistolae demonstrant blandiloquum fuisse, callidum, ingeniosum et in rebus gerendis acerrimum. Ante Marignani pugnam, papam assiduis admonitionibus vexavit : post praelium, se in augendis Pontificis terroribus oblectat ut vicem reddat pro festis quae fuerant, clade Francorum falso nuntiata, agitata. Qui, cum Leoni maximum timorem injicit vel curas

animi ejus confirmat et auget, insigne beneficium in Francorum regem manifeste confert. Ipse cardinalis San Severino, manifestus Christianissimi famulus, rursus apparet opulentus, potens inde et dominus clientium multorum Franciae addictorum ; se in Vaticano exhibet cum ibi labant omnium animi, jam a papa non discedit, venatur cum eo et ejus voluntatem in Franciam flectit.

Omnia igitur regi curiam tradunt : cui haec certissima et firmissima consilia sunt ut sibi Parmae et Placentiae possessio confirmetur, sociis praestet commoda quae expostulant, pendentesque lites componat. At papa nullum scopum petit ; tantummodo in magna formidine est : rei cujuslibet jacturam faciet ne fiat expeditio illa in Neapolim quam Franciscus nunquam suscipere cogitavit : cuncti circa Papam hos timores alunt ut pacem cum rege pangat. In hac ruina quae Romae postero etiam die Marignani inceperat, rerum ecclesiasticarum erit idem ac politicarum excidium. Parmam, Placentiam, Mutinam, Regium papa donabit quia bellum regi non acceptum a rege suscipi reformidat : Sedis Romanae quoque auctoritatem erga Ecclesiam Gallicanam minuet, vano hoc timore actus ne rex velit in posterum Sanctionem Pragmaticam confirmari.

III. — Nemini dubium esse poterat fore ut, si fieret Christianissimi cum papa consensio, de Pragmatica Sanctione ageretur et disputaretur. Qua de re erat inter Gallicanos anxietas magna, quanquam rumor erat regem paucis antea diebus Romam dominum de Montmor legatum misisse, qui periclitantem Pragmaticam tueretur : quem rex miserat tantummodo ut in aliud tempus reprobatio Pragmaticae differretur : regis enim maxime intererat constitutionem Biturici anno 1438 constitutam aliquantisper servari ad formidines et anxietates Pontificis et Curiae augendas.

Sed bellum italicum, quocumque res se verterent, constitutis illis detrimento fore videbatur. Universitas Parisienis profecturum regem supplicibus verbis obsecraverat ut

Pragmaticam et « Gallicanas » libertates semper tueretur. Nec ea fuerant responsa regis vel, ut dicam verius, cancellarii quae Universitatis magistros securos efficerent : « *D'avantage sera besoin*, aiebat Antonius Duprat, *que ne preniez soucy et ne vous entremettiez aucunement des affaires publiques, ains seullement de vos affaires privées qui concernent vostre estude; par ce moien ne vous discontinuerez de vostredit étude, ne donnerez cause à vozditz escolliers d'estre brigueurs d'escolles et les estrangers qui demourent en vostre Université lesquels souventes fois s'estudient à porter dommage en ce qui leur est possible à ce royaume n'auront occasion de faire, dire ou conseiller quelques mauvaises choses aux François ou autres régnicoles estudians en cette Université* (1). » Ex durissima illa reprehensione quae negationem parum dissimulabat, conjicere licebat Pragmaticam et ejus defensores infaustam manere sortem. Dum Christianissimus ad ea quae constituta erant anno 1438 nullum satis certum consilium inierat (vox « Concordata » post commissam Marignani pugnam edita primum est), at cancellarius sane jam aliquid decreverat secum. Arvernus ille, asperrimus atque imperiosissimus vir, doctrinis latinae Universitatis Tolosanae imbutus et regalibus imperialibusque traditionibus nutritus, is profecto erat qui modo apertissime obstaret quo eligi solebant episcopi. In viro illo caput erat factionis dictae « Regalis gallicanismi », quae a Joanne Jouffroy, Guillelmo Briçonnet et Georgio *d'Amboise* paulatim elata, mox erat Bononiae praestitura ; quae Gallicanorum regalium factio non multum per plura secula a gallicanismo Parlamenti aut a gallicanismo episcoporum discrepuit. Priores enim voluerant ab Ecclesia Romana jurisdictionem auferre, ab ecclesiasticis autem tribunalibus judicia et apud solos laïcos forum constitui. Posteriores Gallicanam Ecclesiam fere sui juris omnino esse desiderabant, ut ipsa scilicet principibus suis et membris deligendis praesset et a Romanae Sedis potestate libera fieret. Gallicani qui hujus vel illius factionis studiosi erant hoc in primis una contendebant ut Curiam Romanam summa juris-

(1) « *Mémoires* de Barillon, secrétaire du chancelier Duprat. » T. I, p. 52.

dictione et collatione beneficiorum spoliarent et opes Galliae sic a Romanis exactionibus tutarentur. Quos adversus Romam debellantes Universitates regni excitabant quae, ab aetate Gersonis et Clemengis, Gallicanarum doctrinarum quasi arces erant et seminaria in quibus viri fere omnes instituebantur ad beneficia ecclesiastica aliquando promovendi, remotis Curiae Romanae candidatis. Parlamentum autem, episcoporum coetus et Universitates Gallicanae causae disertissimos oratores defensoresque ingenii dotibus et virtute interdum conspicuos parabant. Gallicani, ab annis ferme centum conjunctissimi, signa prae se ferebant duobus nominibus inscripta, Basilea et Biturico, reformatore scilicet concilio et liberatrice Pragmatica. Anno 1438, illo concilio innixi, coegerant Carolum VII ut clarissima constituta acciperet; anno igitur 1515 nolebant se a rege, qualibet de causa, illa emancipationis suae charta exui.

Anno vero 1515, res non erat eis cum regali potestate debili quae fuerat anno 1438. Ludovico XI incipiente regnum, coaluit regalis Gallicanismus, cum rex neque jugum optimatum clericorum ferre vellet neque optimatum laïcorum. Eo etiam adductus fuerat ut mere Pragmaticam aboleret cujus loco concordata instituere voluit. Tunc viri juris periti qui regi aderant, consilium istud amplexi, egerunt ut nova doctrina fructus faceret. Virorum enim instar qui acta anno 1438 exaltabant, illi quoque minime partes ultramontanas sectati, beneficiorum quae erant in Ecclesia Gallicana arbitrium a Curia Romana auferre volebant, hac vero mente ut beneficia in potestatem regis traderent : metuendi adversarii qui in Universitatibus olim educati Parlamenta jam et episcoporum coetum repleverant. Anno igitur 1515 factio utraque adversus alteram stabat.

Erat Antonius Duprat factionem suam Bononiae contra alteram elaturus. Insignem ministrum, qui fuit diu infami memoria oppressus, multi historiarum conditores ab annis quinquaginta ulti sunt. Quod magis attinet ad pacta Bononiae concordata, existimamus nullum fuisse privatum consilium nec pactionem turpem ullam quae integram clarissimi cancel-

larii conscientiam et perspicax ingenium de fide deduxerit. His de rebus clarissimus quidam scriptor, promptiore imaginatione usus, periniqua injuria Antonium Duprat affecit cum contenderit eum concordatis adhaesisse « ut sibi purpuram obtineret » . Putavit ille Michelet cancellarium tunc sine uxore fuisse : quem solum in anno post habita Bononiae colloquia viduum factum esse constat : ruit igitur ipsa inanitate sua crimen istud. Ceterum mente simplicissima nobis fuisse videtur qui arbitratus est concordata anno 1516 aut inelaborata tunc fuisse aut ex ingenio viri cupidi processisse : quae summa sunt et consummatio quam tantis studiis, disciplinis et laboribus frequens publicorum virorum et jureperitorum familia affectavit (1).

Sed ita se res habet : anno 1515 cancellarius contra Gallicanos qui in Parlamento erant aut in ordine clericorum aut in Universitatibus terribilis adversarius stabat. Imperiosus et comis, callidus et durus, doctrinae plenus, putidior quam quilibet in Universitate magister, solertissimis Parlamenti advocatis subtilior, mire paratus erat qui utrique coetui obsisteret, armis instructus quibus eum ornaverant, et adversus infirma eorum argumenta (quae bene noverat) singularem severitatem adhiberet, et corroboraret crimina quae dudum ultramontani in Pragmaticam et in conditionem Gallicanae Ecclesiae congerebant.

Crimina illa miserabilis rerum status comfirmabat : vitiosae enim multae consuetudines ex Pragmatica ortae erant; quam ceterum violabant saepe aut neglegebant : litigabant Ecclesiae, omnes inquieti animi erant et haec semper calamitas imminebat, ut a Roma Gallia secederet.

Restauratis suffragiis voluerant fautores Pragmaticae, quemadmodum concilium Basileae, unum ex antiquissimis et sanctissimis prisci Christianismi institutis renovare. Non morabimur demonstrando quam multum cooptationes, quae

(1) Michelet, *Hist. de France.* — Paulin Paris. *Études sur le règne de François I^er^*, 1895, t. I, p. 169. — Hanotaux, *Introduction, jam citata* LVI. — ibid. *Études historiques.* — Marquis du Prat. *Vie du chancelier du Prat*, passim.

in xv° seculo factae sunt, a veteri seculi vi° vel etiam xii° instituto distarent; quam parum quoque populares, liberales et justae reipsa cooptationes illae fuerint : pronuntiamus tantummodo, incipiente xvi° seculo, res tristissimas ex Pragmatica processisse (1).

Magis dissoluti erant illius aetatis clerici quam qui (vel si a civili potestate liberi fuissent) sibi dignos sacris muneribus principes praeficerent.

Hi enim sunt clerici quos « sotiae » acriter deridebunt et jucundissimus Rabelais quasi in scenam inducet, in quos indignabitur austerrimus ille Calvin, et Brantôme crudelissimos sales effundet. « *Ils en elisoient le plus souvent*, ait Brantôme, *celui qui étoit le meilleur compagnon, qui aimoit plus les garces, les chiens et les oyseaux, qui estoit le meilleur biberon, bref qui estoit le plus desbauché afin que l'aiant faict abbé ou prieur, par après il leur permist toutes pareilles desbauches, dissolutions et plaisirs* » ; haec quoque in alia pagina addit : « *Or il faut noter encor que s'il y a des abus en ces élections et créations monachales, il y en a bien eu autant es canonicales et celles des évesques* (2). »

Simonia enim in morem venerat : quam calamitatem in oratione anno 1517 habita Duprat vehementer arguit et queritur non semel : electos quoque multa vi increpat qui, cum Romam necessario irent immanis flagitii veniam petitum, sic Curiae Romanae revelabant Ecclesiae Gallicanae flagitia (3).

Sed ubi non erat simonia, dominus laïcus, saepius Christianissimus Rex vel quilibet ex ejus ministris, maximam auctoritatem muneris conferendi habebat. Rex plerumque candidatum designabat quem non possent ceteris non praeferre quin

(1) Imbart de la Tour. *Les Élections épiscopales. Prooemium.* « Lorsque le régime électoral disparut, il s'était lui-même profondément modifié : il rappelait alors aussi peu la procédure des premiers siècles que les usages de l'époque franque, carolingienne ou féodale.... En réalité, l'élection par les chapitres, marque beaucoup plus que le Concordat la chute du système électif» . Cf. quoque U. Chevallier, *Les nominations épiscopales aux* xiii^e^ *et* xiv^e^ *siècles.* — Benoist, *L'État et l'Église*, pp. 10-16.

(2) Brantome, III, 106. Cf. quoque vituperationes Machiavelli de Pragmaticae exercitatione. Machiavelli, *Retratto delle cose della Francia.*

(3) *Oratio Cancellarii Duprat ad Parlamentum.* Arch. nationales de France, carton J 942. *Mém. de Barillon*, t. II, p, 5-74

apertae rebellionis rei haberentur. Ceterum rex, rebellionis impatiens, *conferebat* beneficium et sic palam Pragmaticam contemnebat. Mos adeo invaluerat cooptationes ad nutum regis fieri ut in epistolis haec perpetuo reperire sit : « Le roy a pou rveu, le roy a nommé » — « Rex providit, rex instituit, rex nominavit. » Florentini oratores, verbi gratia (ut ea quae nobis in eorum epistolis occurrerunt exempla de immixtione laïcorum in ecclesiasticis cooptationibus tantummodo proferamus), 25ª junii, anno 1514, ad Laurentium de Medicis scribunt electum esse a canonicis Vauri episcopum ; sed, quia rex hanc cathedram Julio, cardinali de Medicis, servaret, Florimundum Robertet pollicitum esse parlamento Tolosano fore ut electio irrita censeretur et cathedrae possessio Romano cardinali a rege attribueretur. 23ª januarii, anno 1515, Ardinghelli, scriba Juliani de Medicis, domino scribit Christianissimum sedem Narbonensem Parisiensi episcopo *dedisse*. Saepe etiam rex canonicos suffragia dare vetabat : 21ª enim aprilis, anno 1514, oratores scribunt de dioecesi Vauri canonicos citius creavisse episcopum quam ut rex hoc eis posset interdicere. 28ª autem junii, orator scribit fore ut electio resolvatur quod « *Le braccia del Re son lunghe et potente et potravi porre remedio salutare* (1) ». Sic igitur proceres suffragiorum libertatem observabant !

Praeterea Pragmaticam, quam rex violat, papa ex aequo neglegit : etenim nominat, instituit, confirmat : nunc candidatum sibi acceptum regi probare conatur, nunc intrudit, prope invito rege. Sic Romanorum cardinalium pars dimidia sedibus in Francia sitis fruuntur. Electorum alii multi, ut sibi securiorem in posterum vitam provideant et mentis suae terrores dissipent, Romae confirmantur pecunia. Registros Pontificales inspicienti apparet non fuisse unquam ullam Pragmaticam. Ut enim de Leonis papae X « registris », quos melius novimus, sermo fiat, sunt in eis inscripta, die 19ª martii anni 1513[1], *ducenta et nonaginta acta Pontificis ad Gallicanam Eccle-*

(1) *Ardinghelli ad Franciscum Pandolfini*, 28 junii 1515. Man. TORRIGIANI, éd. GUASTI, 54.

siam pertinentia (1). Et clamant, qui Pragmaticam fovent, se Sanctae Sedis jugo Franciam exemisse! Revera Annates, in quibus tollendis maximum videbatur opus Pragmaticae fore et beneficium, erant cum ceteris mercedibus et tributis restitutae. Alii alia de causa Romam adeunt; omnes vero eo pecuniam deportant. Alii a papa praesidium petunt ut eligantur, alii veniam, quod sint vitio electi; hi quaerunt immunitatem, illi absolutionem. « *Car,* ait Duprat, *nonobstant les eslections, ne s'est guère trouvé bénéfice en ce royaume électif où provision n'ait été obtenue de Rome et l'annate payée.* Haec addit alibi : « *Il y a peu de personnaiges qui sont promeus aux archeveschés, éveschés et abbayes qui n'ayent d'autres bénéfices qu'ils veulent réserver, ce que ne sauraient faire sans passer par Rome ni de Rome riens obtenir sans payer l'annate..... et quand on regardera bien ce royaume et Dauphiné, qu'on voise d'évesque en évesque et d'abbé en abbé, il ne s'en trouvera nul ou peu, quelques eslections au concile de Basle qu'il y ait, qui n'ayent payé l'annate* (2). »

Ceterum, cum ex ipsa Pragmatica papae esset vacantia in Curia Romana beneficia conferre, licebat quoque Pontifici Maximo, vi ejusdem, saepius rebus multis immisceri; nam Franci cardinales qui Romae vivebant et ad sanctum Petrum moriebantur (sic cardinalis de Gubé, anno 1514°) permultis aliquando sedibus episcopalibus et abbatiis fruebantur.

Propter duplicem illam papae et regis intercessionem, fiebat ut pravissimae consuetudines rursus irreperent. Externi saepissime, Scoti, Germani, Itali in primis, beneficia accipiunt solis regnicolis ex Pragmatica conferenda. Aliunde existunt ubique qui seculare beneficium cum regulari simul possident, quod leges Bituricenses vetuerant. In collatione inferiorum beneficiorum major fuisse confusio videtur.

Leges aperte spernebant nec quiescebatur a litibus. Maxima erat ubique perturbatio. Hanc vel illam interdum electionem neque rex neque papa ratam habebant. Rex interdum candidatum nominabat, coactis ab invitissimo canonicorum suf-

(1) Hergenröther, *Leonis X regesta,* Fasciculo I°, 1513.
(2) *Oratio cancellarii Duprat,* jam citata.

fragiis vel etiam suffragiis ipsis praetermissis. Papa ipse non raro candidatum aliquem vi proponebat; vel canonicorum aut regis candidatus cogebatur in Curia Romana acceptus fieri : tres interdum candidati quorum *nominati* duo et *electus* unus, alii adversus alios, disputabant. Utinam unus semper adversatus esset *electus!* Contenderunt duo, tres etiam interdum, se pariter ad eamdem dignitatem evectos esse. Itaque lites litibus continuatae in diuturnos annos producebantur. Cardinalis enim de Prie, electus anno 1510 Lemovicensis episcopus, a competitore prohibitus est quem papa designaverat et anno 1514 solummodo sede sua potitus est. De sede Albigensi pugna *sex et viginti* annos exstitit inter Bernardum Casillac *electum* Robertumque Dauphin sede eadem a papa donatum. Quibus litibus effundebantur Ecclesiarum pecuniae et intervalla erant in quibus canonici turpissimo modo dioecesim administrabant.

Quod ad inferiora beneficia conferenda pertinebat, canonicatus scilicet, praebendas, decanatus, etc., erat major adhuc perturbatio, cum metropolitanus, episcopus, canonici, laïci patroni, rex et Curia ipsa omnes sibi cooptationem ad haec beneficia vindicarent.

Pragmaticam igitur mirum in modum violabant, despiciebant, prave interpretabantur : in aerarium Romae pecunia invehebatur ut antea, Romam causae deferebantur; Curiae intercessionem impedimentis, nullo autem limite continuerant.

Hoc vero pessimum erat quod Franci, promissis a conditoribus Pragmaticae bonis non potiti gravissima incommoda a « *Gallicano schismate* » (sic dicebant Romani) paterentur.

Concilium enim Basileae quo Pragmaticae fautores nitebantur una jam Gallia agnoscebat : fere in ceteris omnibus regionibus Pontifex Maximus id assecutus erat arte multa ut pleraque decretorum Basileae pro infectis et irritis haberentur. Jam inde in ipsa Gallia timebant multi ne vere haeretici, schismatici ac damnabiles essent, si cum rege, episcopis et Gallicanismi fautoribus Pragmaticae parerent « *Il y a peu de*

gens, inquit quoque Duprat, *craignans Dieu et préférans les choses celestielles aux terriennes qui le voulussent faire... attendu l'autorité du pape qui est vicaire de Dieu en terre* (1). » Qui redibant ex Italia milites narrabant sibi, velut schismaticis, absolutionem a sacerdotibus negatam fuisse. Pisani tandem concilii fortuna inquietas supra modum mentes fecerat : cui interfuerant e Gallico clero egregii praesules et eruditissimi Universitatum doctores quos oportuerat paucis post annis veniam flagitare : quae omnia clericos Pragmaticae sectatores minime catholicis Galliae commendaverant, at singulariter Summum Pontificem, Romanam Curiam et Concilium Lateranense efferebant atque illustrabant.

Sed leve illud erat prae periculis quae ex conditione rerum Galliae imminebant. Eam *Schisma* a ceteris christianis regionibus separabat quod erat regis hostibus et Papae sociis *Sanctae Conjurationis* (ut aiebant) ineundae materia et color. Gallia cum in hac quam Pontifices Romani *Bituricensem pestilentiam* appellabant perseveraret, eadem iterum subibat discrimina quae recentius tulerat et eo magis quod esset Concilium Lateranense mox luce ac palam Pragmaticam solemniter damnaturum et eversurum. Fuerat dilata ad hoc tempus haec publica improbatio, quod Leo ad mitiora semper ferebatur vel potius incerto animo erat (2). Jam vero dubium non erat quin de ea in decima sessione ageretur. Atqui Francorum rex, Gallici cardinales, praecipui episcopi legitimum esse illud concilium auctoritate praeditum et sanctum confessi erant : si igitur in Pragmatica perstitissent, rei inconstantiae magnae, aperti schismatis et temerariae rebellionis fuissent; sin autem Romae se subjicerent, ad importunam rerum religiosarum conditionem, quae fuerat ante Pragmaticam, erat necessario redeundum. Papa scilicet oportebat iterum se in conferenda beneficia, inferiora ac majora, per reservata, expectativas et man-

(1) *Oratio*, jam cit.
(2) Barillon, I, 141. — Epistola domini de Soliers Franciscum et cancellarius paucis diebus ante conventum moniti fuerant fore ut Pragmatica Sanctio a Lateranensi concilio immutabiliter condemnaretur.

data, in jus autem dicendum per appellationes Curiae, in opes quoque publicas per annates insinuaret. Timendum erat etiam ne praetera Sancta Sedes cujus ab annis viginti creverat auctoritas, universum Gallicum clerum facere tributarium sui conaretur.

Nonne melius erat igni vorandum aliquid dare, id est, Pragmaticam sponte concedere, papae futiles et vanas res donare et, suffragiis illis abolitis quae eligentium simonia et mores pravissimi infamia faciebant, Christanissimus autem et laïci optimates auctoritate vitiabant, papa et Curia respuebant, lites denique et rixae agitabant, operam dare ut clerici quiete crearentur et omnis cooptatio prius a rege facta, posterius a papa confirmaretur?

De his cancellarius Antonius Duprat postero die post Marignani pugnam jam cogitabat : ad res Italicas rex, ad res Ecclesiae Gallicanae dirimendas minister animum intendebat.

CAPUT II

DE CONVENTUS PROLUSIONIBUS ET NEGOTIATIONIBUS

I. — Luce prima 16ae septembris, Romam invasit rumor Francos in campo Marignano ab Helvetiis Curiae sociis esse victos : nuntium a Laurentio citatissimo equo advolavisse qui rei papam certiorem faceret ; qui eques 13a vespere, e castris Placentiae profectus erat. Quare Veneti cum Francis, qui Romae adstabant, se lamentis dederunt (1).

Sed 18a, quam primo mane, Venetorum legatus excitatus est a nuntio qui a Dandolo, Reipublicae apud Francorum regem oratore, venerat. Marinus Giorgi perrexit igitur ad Vaticanum festivis vestibus indutus et omnibus Venetis praelatis circumdatus quos congregare potuisset. In lectulo papa recumbebat : « *Sveglietelo* » exclamavit legatus, ingressus simul in Leonis cubiculum (2). Pontifex apparuit, levi tantum supra camisam projecto vestimento, et, Pontifice victoriam Francorum minorem et mediocrem esse affirmante, et vix quatuor millia Helvetiorum occidisse « *Ah! Padre Santo*, ait Marinus, *ieri V. S. mi diede una cattiva nuova e falsa : io gli ene darò oggi una buona e vera* » et coegit Leonem ut epistolas prehenderet. Qui eas sedulo legit, cardinalem de Bibbiena vocari jussit et ab eo quaesivit num fidem talibus nuntiis haberet : cum cardinalis protinus affirmaret, papa suspiciosus prius perturbato animo atque ore factus est « *Havemo ben anche nui*, exclamavit, *ma non e tanta rota, solum* 4,000 *Sguizari : le nostre e di* 13° — *Padre Santo*, ait Marinus, *quella e la busia e questa e la verità* » Tunc coepit

(1) Marin Giorgi, 16 sept. 1515 ; Marin Sanuto, *Diario*, XXXI, col. 115. — *Relazione di Marin Giorgi*, Alberi, *Relazioni*, Série II, vol 3°, 43, 45.

papa accusare Venetos victoriam Christianissimi fecisse. Legatus autem papae valedixit : ad laetitiam ejus accessit quod hostium oratoribus occurrit ad papam fracto animo venientibus. In sacello Sanctae Mariae Populi perpetuam civium suorum Marignani occisorum requiem precibus Deum poposcit (1).

Postridie, litterae a principe Camillo Orsini Placentia ad cardinalem fratrem suum missae cladis Helvetiorum omnia tempora enarrabant : res igitur certissima stabat (2). Protinus plerique circa papam de pace ac reconciliatione, de pacto ac fœdere loqui.

In sententiam pacis ibat Laurentius de Medicis. Segni isti duci fuerat inter primos, ut patet, renuntiatum effusos esse Helvetios. 15ª die, sub vespere, de infelici pugnae exitu per litteras Tricaricensis episcopi certior factus est. Raymundus de Cardona, Hispanorum dux, extemplo advenit ut cum Laurentio colloquium haberet. Sed frustra omnis generis argumentis usus prostratum Florentini animum erigere tentavit. Finito colloquio, ministrum suum quo uti solebat Bondelmonti ad nuntium remisit qui Ludovico de Canossa annuntiaret papae acceptissimum pactum fore quo regis invasio sisti posset (3).

Ludovicus autem de Canossa, qui castris non fuerat egressus regem sine mora adiit et continuit pacto jure fiduciario fœdere longe quidem dispari conditionibus quas quatuor antea diebus Christianissimo in pugnam abeunti proposuerat; jam enim Parma ac Placentia concedebantur. Rex vero formidinem Hispanorum exercitui et copiis Laurentii tantummodo voluerat injicere : a re nulla magis mens Francisci abhorrebat quam ut Francos cum pontificalibus militibus committeret. Hi pedem jam referebant, hoc satis regi erat, qui nempe pactum facere vellet : nam 18ª scripsit Laurentio se ad papam dominum de

(1) Marin Giorgi, 18 et 20 sept. 1515; Marin Sanuto, XXXI, 135. — Alberi, *Relazioni*, 43-45.

(2) *Camillus Orsini ad cardinalem fratrem suum*. 17 sept. 1515. M. Sanuto, XXXI, 137.

(3) *L'Alviano ad Senatum*, 15 sept. M. Sanuto, XXXI, 108. — Vettori, *Sommario*.

Bonnivet legare qui de fœdere jam disputaret et rogavit ut Pontifici legatum hunc commendaret (1).

Laurentius, tempore illo, cogitabat inprimis ex his adversis rebus exire (2). 20ª enim ejus primum agmen in Austrum aperte pedem retulit : 21ª, Florentini cum papae militibus Mutinam ac Regium retro porrexerunt. Praeterea Venetiis, 23ª, auditum est Raymundum de Cardona ipsum Bononiam versus per Borgum Sancti-Donini recedere ea mente ut in Neapolitanum regnum perveniret : partes dux iste in bello minime decoras tenuerat, qui neque hostes impugnare ausus erat neque eos arcere potuerat (3).

Regressus Laurentii significabat fieri posse et optandum esse ut papa et rex convenirent : diximus antea qualem spem foveret princeps Florentinus inter duas curias quasi arbiter factus. Opinioni quoque in Florentinis tunc vigenti nolebat contradicere. Clades enim ab Helvetiis accepta Florentinorum mentes penitus mutaverat; octo virorum concilium quod *della Pratica* dicebatur et regebat Rempublicam, jam 19ª Septembris, hortatum erat cardinalem de Medicis ut, salvis quae ad Florentiam pertinerent, papam ad pacem inclinaret (4). 21ª, litteras misit Cardinalis quibus curas virorum principatui praefectorum allevaret : sperabant, aiebat, fore ut aequae a Christianissimo conditiones proponerentur (5). Revera Romani oblectabantur aut se ipsi simulabant oblectari jucundissimis erroribus : quibus nemo nec Florentiae nec in Laurentii castris deceptus est. 20ª, Leo Cynthio nuntium suum quo uti solebat regi remisit et episcopum Tricaricensem qui

(1) *Franciscus I ad Laurentium*, 18 sept. (Arch. Flor., Arch. Mediceo. Filza CIX, f° 76.)

(2) *Sommario delle cose di Firenze*, f° 35. v°. M^te^. CERETANI ; *Biblioteca nazionale Florentiae.*

(3) *Concilium Decem virorum*, 23 sept., M. SANUTO, XXXI, 140.

(4) *Li otto di Pratica ad Julium de Medicis*, 19 sept. (DESJARDINS, 735).

(5) *Julius de Medicis* ad « *Li otto di Pratica* » 21 sept. (DESJARDINS, 736). — *Julius de Medicis ad Laurentium*, 18 sept. (Arch. Flor., Arch. Mediceo. Filza CXIII.) — MARIN GIORGI *ad Concilium Decem virorum*, 22, 23, 24, sept. M. SANUTO, XXXI, 146. — Fr. VITTORI ad « *Li otto di Pratica* » 21 sept. 1515. Arch. Flor. *Lettere esterne.* Responsive 12, f° 301.

cum foederis rogatione Romam venerat, humanissime excepit. Quam rogationem disputaverant inter se et pacem interim composuerant dux Sapaudiae, Christianissimi procurator, et Ludovicus ille de Canossa. Numquid papa fœderis conditiones cognoverat cum apud Venetorum oratorem proficere vellet et asseveraret oportere Parma et Placentia agri ecclesiastici semper essent (1)? Saltem Leo non jam contendebat se tiara pontificali potius quam illis urbibus cessurum : non tiaram, sed tantummodo paucos e tiara ocellos erat detracturus. Scripsit regi se libenter episcopum Tricaricensem excepisse, necnon Francisci piam laudabat voluntatem; aliis litteris summo magistro de Boisy grates egit quod tam studiose Sanctae Sedi inserviret (2). Sane vir ille apud regem potentissimus talem papae gratiam merebat, nam societati cum Sancta Sede jungendae favebat obfirmato animo (3).

Respublica Venetorum quae neque pacem tanta festinatione componi volebat nec regem tam propere in papae societatem irruere, munuscula nonnulla summo magistro misit ut memoriam Reipublicae haberet. Anxietas enim apud Venetos erat : qui quidem in ecclesia Sancti Marci *Te Deum* cantabant (4), sed regem existimabant temere agere omnia : neglegi videbatur Respublica : 26ª Septembris, scripserat Marinus Giorgi nullam in quatuordecim fœderis capitulis, quod Romam Canossa attulerat, esse Reipublicae Sancti Marci mentionem (5) : res non adeo mirabilis cum non adversùs papam Veneti in societatem regis intravissent nec quidquam praeter Veronam ac Brixiam poscerent quae in ditione imperatoris essent : sed Venetiae rebus adversis papae libentissime usae fuissent ut Ravennam et Cerviam recuperarent. Similes curae ducem Alphonsum de Ferraria agitabant : is non fuit contentus quin ipse socium

(1) Marin Giorgi, 24 sept. M. Sanuto, XXXI, 146.

(2) *Leo X ad Franciscum*, I, 27 sept. *Ibid. ad summum magistrum de Boisy*. 27 sept. Bembo, *Epitoslae* 239, 240. Fabroni, *Leonis* X *Vita*.

(3) *Consilium Decem virorum.*, Arch. Ven. *Capi del consiglio. Ambasciatori in Francia*. Busta 9, fº 668.

(4) Marin Sanuto, XXXI, 140.

(5) Marin Giorgi, 26 sept.; M. Sanuto, XXXI, 153.

suum adiret et se bene de Gallia meritum esse praedicaret qui annos quatuor bellum et excommunicationem fortiter toleravisset. Regi igitur Ticini 6ª octobris praesto fuit (1).

Apparebit postea regi consilium non fuisse socios suos neglegendi, etsi minime curam adhibere cogitavit ut Ravenna et Cervia Venetiis redderentur : jam enim Parma et Placentia nonnisi cum disputationibus et acerrimis querelis cedebat Pontifex. 28ª, die ipsa qua Leo hanc conditionem ratam habuit, etiam tum episcopus Tricaricensis in litteris ad summum magistrum missis protestabatur Parmam ac Placentiam, agros ecclesiasticos, esse papae servandos (2). Leo tamen, habito cum cardinalibus colloquio, fœdus proposuit mutatum quidem, sed quo ad praecipuas conditiones quas Franciscus imposuerat descendebat (3); brevia duo fœderi addidit, regi unum, alterum cancellario, quibus eos hortabatur ut sua devotione (haec erant certa verba) in Sanctam Sedem et Ecclesiam semper uterentur (*devotio* illa jam Sanctam Sedem Parma et Placentia spoliaverat et alia hujusmodi in posterum efficiet) (4). Hoc igitur imminebat ut pacem concluderent.

Tunc conjurati omnes vehementissime commoti sunt; gemebant Veneti a Francorum rege proditi; sed quid reliquam Europam queri non decebat a qua Roma tam leviter defecerat? Extemplo misit imperator ad papam privatum nuntium, Ludovicum Maraton « *pour aucuns grans affaires* (5). » Florentia, verita ne ex inceptis negotiationibus omne detrimentum caperet, legatum suum Acciajuoli jussit omni concursatione et inquisitione Bibbiena, San Severino et Ludovicum de Canossa

(1) *Epistola ministri Ferrariensis Tassini*, 6 octobre 1515. Arch. Mutinense *Carteggio ambassatori Estensi in Milano.*

(2) *Ludovicus de Canossa ad summum magistrum de Boisy,* 28 sept. 1515. Arch. Vat., Nunziature, Germania, I, 96.

(3) *Robertus Acciajuoli ad « Li Otto di Pratica »* 28 sept. 1515. Arch. Flor. *Lettere esterne alla signoria.* Resp. 12, fº 313.

(4) *Leo X ad cancellarium Duprat,* 30 sept. 1515. Arch. nat. France, L 357; Barillon, *Mémoires* I, 139.

(5) *Maximilianus imperator ad Margaritam de Austria*, 26 septembre 1515, Le Glay, *Correspondance de Maximilien et de Marguerite d'Autriche*, p. 296.

circumire (1). Oratores denique Mediolani et Hispaniae clamosa verba jactarunt (2). Primo nil melius papae visum est quam ut aures suas obturaret et socios suos a se prohiberet. Hinc legati acriori ira accensi querimonias fuderunt apud Bibbiena qui eos quoque ore sereno audivit. Tandem papa metum eorum levare necesse existimavit et eos verbis multis, ut mos ejus ad omnes erat, solari tentavit : « nondum ictum fœdus esse ; quasdam condiciones a papa repudiatas : episcopum Tricaricensem rursus se in viam dedisse cum fœdere admodum emendato, nec pacem nisi certis legibus perpetraturum. » Ita profecto res se habebant. Nam 7ª octobris, Pandolfini qui Ticini erat, scribebat ad Florentinum principatum tria papae non fuisse probata quae rex exigeret : ut scilicet, quod ad Parmam et Placentiam regi traditas attineret, Leo de omni dominio decederet, dein Florentini pecuniam a rege indictam impensis belli conferrent, pontificales denique copiae Verona exirent (his apparet regem non tam sociorum immemorem fuisse quam illi arbitrabantur). Duo rex emendata rejecit : de pecunia tantum manus dedit (3).

Eo minus mirandum est regem inclementia usum esse quo papa magis ejus arbitrio tunc derelictus erat. Raymundus de Cardona pergebat agmen suum reducere, quod agmen Bononiam advenisse et ibi ducem illum cum cardinali de Medicis colloquium habuisse dux Ferrariae Venetos certiores faciebat (4) : ceterum ager Mediolanensis occupatus erat, dux ipse Maximilianus Sforza deditionem fecerat et principatu cum mira admodum consolatione se abdicaverat (5).

Quamvis fortuna omnem regi licentiam concederet, repulsa illa iram papae movit et eum ad peregrinos oratores convertit (6); qui, ut sollicitudinem ejus augerent, rumores vulgabant : « suos gentiles nondum a bello conquiescere. Imperatorem in

(1) *Robertus Acciajuoli ad « Li Otto di Pratica »*, 30 sept. 1515. Archiv. Flor. *Lettere esterne*. Resp. 12, 313.

(2) Marin Giorgi, 2 oct. 1515; M. Sanuto, XXXI, 206.

(3) Pandolfini, 7 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere esterne*. Resp. 12, 335.

(4) Marin Sanuto, XXXI, 205.

(5) Pandolfini, 5 et 8 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere est.* Resp. 12, 335.

(6) Marin Giorgi, 7 et 8 oct. 1515; M. Sanuto XXXI, 224.

Italiam descensurum famam esse ; conventum Helvetiorum Turicensem paci maxime adversari, etc... » Revera imperator in tempestate illa videtur ad proelia proclivis : scribit filiae delectus militum de mandato suo fieri et se Henricum VIII in belli societatem trahere tentavisse : quem fama ferebat centum milia nummorum ad Helvetios misisse (1).

Tum papa non Romae, sed Fani Voltumnae (Viterbo) conversabatur : haec erat quasi prima statio longioris itineris quod omnes necessarium fore suspicabantur. Haerebat enim negotiatio : quomodo igitur res aliae tam multae de quibus Romae et Galliae inter se disputabant, possent a longinquo resolvi cum jam de re una concordia aegre fieret? Fuerat paulatim papa adductus ut opinaretur se praesentem facilius quae vellet a rege impetraturum. Leoni erat colloquendi copia et lepor ; suarum harum dotum conscius sperabat se adversario regi, cujus ingenium minime noverat, admirationem ac persuasionem (2) injecturum. Regem postea dicentem audiemus : « Promisit iste papa fore ut conventu illo me impelleret quo vellet », et vera dicet (3). Vix Fanum Voltumnae advenit Pontifex cum de conventu aliqua verba fecit non aliter ac Laurentius postera die Marignani proelii : quam primam papae voluntatem Giorgi significavit in epistolis ad Senatum 10ª et 12ª octobris missis (4) ; papa enim volebat continuo Florentiam petere : multa eum ut negotiationem celeriter conficeret incitabant : erat Sultanus Hungariam praesto invasurus, cujus regionis rex ad Crucis bellum principes Christianos invitabat (5) : ipse Francorum rex jura a Venetis repetita tuebatur : peditum tria milia ad obsidendam Brixiam miserat nec Maximilianus imperator tamen ullum agmen videbatur promovere : Henricus VIII, securus ab insidiis quas

(1) *Maximilianus imperator ad Margaritam de Austria*, 7 oct. Le Glay, *Correspondance de Maximilien et de Marguerite*, 296-304.

(2) *Robertus Acciajuoli ad « otto di Pratica »*, 8 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere esterne* 12, 351.

(3) *Grimani ad Concilium Decem virorum* 17 nov. 1515. Arch. Venetiarum, *Capi del consiglio*. Busta 9. f° 171.

(4) Marin Giorgi, 12 octob. ; M. Sanuto XXXI, 231.

(5) *Nicolaus Giustiniani*, 18 sept. ; M. Sanuto, XXXI, 250.

fama fuerat Franciscum apud Scotos machinari, jam bellum ei inferre non cogitabat (1). Tandem omnium animos invasit stupor cum audierunt ab ipso Maximiliano missos esse qui Francorum regi relatam in Helvetios victoriam gratularentur (2).

Nec papa res politicas tractare dedignabatur : Christianissimum adire decreverat : frustra omnes qui circa eum erant studebant vel de politicis vel aliis de causis, ut huic itineri renuntiaret : frustra legatus Hispaniae protestatus est et ad epistolas allusit quibus Ferdinandus se ad bellum pronissimum exhiberet : frustra denique cardinalis Adrianus de Corneto, imperatori devotissimus, multa attulit quae itineri repugnarent et ceteri cardinales ingemuerunt et Sanctae Sedis dignitatem, Ecclesiae majestatem...., hiemis quoque frigora proxima et impensa grandissima quae oporteret facere objecerunt (3). Leo cuilibet contradicenti superbe respondit « Quemadmodum Sanctus Leo papa Attilae occurrisset, ita se velle Francorum regi occurrere ». Verba quidem lepidissima, sed virorum non erat similitudo. Leo X, amabilis ille *dilettante*, ut aiebant Itali, litteris imbutus, qui amœnitatem magis quam sanctitatem vitae sequebatur, non magis piissimi ac fortissimi pontificis Leonis I imaginem repraesentabat quam ille Franciscus magnificentia et urbanitate clarissimus terribilem istum Hunnorum regem. Sed haec comparata papam adeo delectabant ut, ipsa illa aetate, eventum in Camerarum parietibus Vaticani pingi voluerit. Facetia haec quam Pontifex voce admodum severa et alta expressit, quae silentium curialibus papam ad Canossam mala via iturum repetentibus imponere videbatur, parum a patribus Sancti Collegii timores auferre visa est quos de conscientia sua, majestate, valetudine et pecunia conceperant. *Porporati* illi novas querelas edidere : « asperrimum hiemem minime hujusmodi viae favere : defore in pauperrima regione equis stabula, pabulum, lignum, carnem : rem igitur ad ver

(1) *Oratores apud Christianissimum*, 19 sept. M. SANUTO, XXXI, 246 ; *Badoer orator apud Regem Henricum* VIII, 28 sept. M. SANUTO, 251.

(2) *Oratores apud Christianissimum*, 19 sept. M. SANUTO, XXXI, 256.

(3) *Robertus Acciajuoli* 13, 17 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere est.* Resp. 12, 362, 96. — Paulus JOVIUS. *Historia sui temporis*, f° 184.

differendam esse». Acciajuoli scribit «sanctae Sedis dignitatem jactare cardinales, sed revera pecuniae suae parcere». Voluntas autem papae bene fixa visa est.

Attamen, antequam de itinere fieret quidquam, oportebat prima negotiatio conficeretur; rex Florentinis mulctam condonaverat; oportebat papam quoque omni cedere dominio quod ad duas urbes concessas attineret. Sed impedimenta alia opponebat; volebat praedes sibi dari ut quae pacta essent de sale Mediolanensi e Cerviae salinis emendo servarentur: auxilium quoque sibi a Christianissimo in subjectos rebellantes (hoc adversus Urbini ducem petebat) promitti (1).

Parum abfuit quin rex patientiam abrumperet. Florentinos oratores terruit coram quibus furorem suum effudit; quod Romae narratum non nihil ibi effecit. Nam si oratori Pandolfini credimus, allatum est paucis post diebus fœdus Fani Voltumnae (Viterbo) 17ª octobris ratum habitum quo Parma et Placentia in plena regis possessione constituebantur, modo Juliano de Medicis et uxori ejus praestarentur annua (2).

II. — Jam expeditis de Parma et Placentia negotiis, conventus ex utraque parte res fuit majoris momenti. Quem vult rex fieri sine mora; Franciscum Vettori vicissim ad cardinalem de Medicis, ad Julianum et ad Laurentium legat qui conventui favebant: deinde ad papam apud quem tres illi de Medicis regis postulationem adjuvant (3): 18ª octobris, Bonivet ut apud papam Galliae sit orator, auctoritatem aperte accepit et Viterbum mittitur cum hoc munere speciali ut omnia disputet quaecumque ad illud « abboccamento », ut aiebant, pertineant (4).

(1) *Robertus Acciajuoli*, 14 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere est.* Resp. 12, 368.

(2) *Charta originalis.* Arch. nat. Fr. J 576 nº 1. Du Mont, t. IV. p. 214. — *Pandolfini ad Laurentium,* 14 oct. 1513, Arch. Flor., Arch. Mediceo, Filza X, fº 95. — *Mandata ad Pandolfini, Vettori et Strozzi,* 18 oct. 1515; Desjardins 755. — *Pandolfini ad Laurentium,* 18, 19 oct. Arch. Flor., Arch. Mediceo, Filza CV. — Barillon, *Mémoires,* I, 137.

(3) *Julius de Medicis ad Laurentium*, 19 oct. 1515. Archiv. Flor., archiv. Mediceo, Filza CXIII.

(4) *Franciscus I ad Laurentium*, 18 oct. 1515. Arch. Flor., Arch. Mediceo, Filza CX.

Ceterum non opus erat ut papam quis hortaretur : conventum hunc existimabat in suam utilitatem cessurum, quod esset eloquentissimus et magni faceret illam *camarilla* quam cum novis juvenis regis ministris esset commissurus : nam cardinalium de Medicis, de Bibbiena, de Accolti, Pucci, et aliorum subtilissimum ac cautissimum ingenium noverat, parvi autem existimabat tam illos qui fuerant tot annos infelices Ludovici XII consiliarii, Robertet scilicet ac Briçonnet, quam novos et inexercitatos, ut cogitabat, Francisci famulos, scilicet Boisy atque Antonium Duprat. Opizzo Remi, ducis Ferrariae minister, litteras a cardinale de Medicis scriptas se vidisse refert quae papam Bononiam venturum dicerent « *per tirarli il Re e ... per sua reputatione* (1) » Quamobrem Leo X imprimis animos admiratione commovere et in splendore gloriae suae apparere volebat. 22ª enim octobris, infortunatos cardinales Fanum Voltumnae (Viterbo) in diem Omnium Sanctorum convocavit. Plures cum questu magno Romam reversi erant viam suam paraturi. Quod ad papam attinet, adeo certissimum itineris suscipiendi consilium ceperat ut 22ª octobris, Robertus Acciajuoli ad Principatum de commeatibus comparandis scriberet : papam enim per agrum Florentinum transiturum et etiam aliquandiu in urbe patria conversaturum : equorum in comitatu tria fore milia in usum cardinalium, officialium, variorum ministrorum, militiae praepositorum, optimatum, praelatorum et legatorum : oportere stabula et stramenta in promptu essent : cardinales fore viginti numero aut duos et viginti ad congressum jam fixum venturos (2). Quem conventum Marinus Giorgi quoque scribit ad Venetos decretum esse. Fit papa in illa expectatione facilior. Veronam etiam cardinali Veneto Cornaro pollicetur « *E ben de Verona? — L'averete !* » respondit Leo. Rursus 24ª, ipsa Lucretia tam famosa Borgia, Ferrariae ducissa, de habendo Bononiae conventu Venetos certiores faciebat (3).

(1) *Oppizo Remi ad Lucretiam Borgia*, 29 oct. 1515. Arch. Mutinae, V. *Cancellaria Carteggio degli ambasciatori esterni in Bologne.*

(2) *Rob. Acciajuoli*, 22 oct. 1515. Arch. Flor. *Lettere est.* Resp. 12, 377.

(2) Marin Giorgi, 22 oct. 1515 ; Marin Sanuto, XXXI, 257 ; M. Sanuto, 154.

Verum tempore illo, rex contra jam non in tanta trepidatione esse videbatur. Dominationem suam in Mediolanensi firmat, foedus cum Helvetiis pangit et cum Antonius Duprat leges et instituta constituit, ipse voluptatibus indulget nec tamen unquam in diem posterum gravia negotia trahit.

Mediolanum ingressus erat cum magnificentia qua Itali capti fuerant (1). Ibi quoque Helvetiorum legatos excepit qui concordata proposuerunt (2); 23ª Victumvias ivit ut ibi Laurentium de Medicis cum signis effusae amicitiae acciperet (3) : 27ª denique Franciscus Mediolanum redivit ut novos quatuor a Senatu Venetorum oratores ad se admitteret, scilicet Grimani, Gritti, Trevisano et Cornaro.

His quatuor magistratibus hoc tantum munus impositum videbatur ut regi res ejus prosperas gratularentur : revera placuerat Reipublicae, propter imminentem conventum, coetu virorum regem circumdare qui mentem ejus callide obsiderent et inclinarent. Fungendo hujusmodi difficilius muneri mire delecti erant ministri. Dux legationis Antonius Grimani, ore vivido et delicatissimo quem depinxit Tiziano in Ducum Palatio, Venetiis, genibus flexis coram Religione prostratum, reverentiam omnium in se trahebat propter multa officia quae annos sexaginta in clarissimam Rempublicam contulerat : Andreas autem Gritti cujus videre est frontem formosissimum ingenio resplendentem in pictis parietibus magnifici ejusdem Palatii erat multa laude notissimus tum in bello tum in publicis negotiis parta. Omnes ex ferocibus Venetis erant qui dicere solebant « *Siamo Veneziani e poi Christiani.* (4)» Isti enim legati aliquid melius praeter Veronam ac Brixiam appetebant : ab Ecclesia Romana Ravennam Respublica concupiscebat : sed

(1) *Ariosti ad cardinalem Hippolytum d'Este*, 8 oct. *Albertus Tassini ad eumdem* 15 oct. Arch. Mutinense. Carteggio ambasciatori Estensi a Milano. — *Oratores Veneti apud Christianissimum* 11 oct., M. Sanuto, 233.

(2) *Ibid.* 19 oct. M. Sanuto, 246.

(3) *Dux Ferrariae ad cardinalem Estensem*, 25 oct. Arch. Mutinense, Arch. secr. Casa. *Pasqualico ad Concilium Decem virorum*, 27 oct. M. Sanuto, 265. — Vettori, *Sommario*.

(4) *Tassini ad cardinalem Estensem*, 15 nov. Arch. Mutinense. Carteggio amb. a Milano

ut Ravenna concederetur, oportebat prohibere ne rex cum papa arctiorem societatem jungeret neve etiam ullum conventum haberet. Res eis bene succedere poterat modo quis suspiciones in Christianissimi mentem injiceret. Sub finem octobris, acceperat Respublica ab Urbini duce epistolas quas dux inter Romam et Bononiam interceperat quaeque documenta esse poterant ad malam fidem papae demonstrandam maximeque ejus animum a Republica Sancti Marci alienum et cupidum a Venetorum amicitia regis avertendi. Has epistolas novi Venetiarum legati Francisco alacriter detulerunt qui parum commoveri visus est, sed se non defecturum unquam ab amicitia sua in Venetos « *ne per il papa ne per Dio* » juravit (1). At Boisy contra et Robertet visi sunt multum ad conturbationes et suspiciones Decem virorum de sincera papae fide sequi. Ceterum non favebant conventui magis qui Mediolani circa regem erant quam qui circa pontificem Fani Voltumnae (Viterbi) : dux Ferrariae et marchio Mantuae Christianissimi socii, veriti ne cum multo suo damno res talis fieret, nolebant regem comitari et astuta reticentia usi suadebant ut se dupliciter muniret antequam se papae crederet (2). Cancellarius quidem in conventum Franciscum trahebat; sed senior Robertet qui de Romano clero, sicut et aetatis illius viri, judicabat parum benigne dicebat non oportere clero confidere « *Non è da fidarse dé preti* » (3). 15ª novembris, Venetorum legati regem iterum adierunt ut conventui obstarent; respondit Franciscus « regni sui interesse istud colloquium haberi » et perjurando confirmavit « se de rebus nullis nisi cum Venetorum legatorum assensu decreturum ». Venetiae, ut se ad fortuitos casus munirent, regis consiliarios alliciebant donaque sua inter Boisy, Duprat ac Bonivet partiebantur. Rex autem curam omnem adhibet ut socios securos efficiat : quibus confitetur se obsessum fuisse ut a Republica descisceret, sed

(1) Pasqualico, 3 nov. 1515. Arch. Ven. Capi del consiglio. Amb[ri] in Francia. Busta 9, f° 167.

(2) *Dux Ferrariae ad Cardinalem Estensem*, 24 nov. 1515. Arch. Mutinense, Casa, Carteggio fra i principi Estensi. Pasqualico 5 nov.; M. Sanuto, 274.

(3) *Marcus Dandolo ad Concilium Decem virorum*, 5 nov. 1515; M. Sanuto 274.

tanta perditione abhorruisse; ut suam illis constantem amicitiam confirmet, tria milia et quingentos milites Veronam mittit et Venetos oratores palam invitat ut se Bononiam euntem sequantur (1).

Cum videbantur omnia certa esse et composita, parum abfuit quin consilia de illo *abbocamento* ruerent propter aliquid a papa incaute gestum (conjicere licet ea quae Leo de congressu garrierat ad aures regis venisse) aut propter formidines quas astuti Veneti Christianissimo inspirare non cessabant. Roma allatis nescio quibus nunciis, Franciscus ad se legatos peregrinos 17ª novembris vocavit et eis turbam dedit qua commoti sunt non parum qui circa regem erant : « Papam insignem proditorem esse : eum in hoc solummodo animum intendere quomodo suos locupletur et Laurentio Neapolim obtineat, Juliano Florentiam, Senam, Luccam, Ferrariam, Urbinum et tot alias urbes : quarum rerum auctorem fuisse istum Bibbiena cujus insolentem iniquitatem papa deberet æque judicare. Sibi papam per nuncios benignam suam de conventu voluntatem significasse, sed Leoni X esse propositum, cum res ei esset cum juveni viginti tantum annos nato, hunc quo vellet vertendi et facile decipiendi. At semetipsum potius papae ludos facturum et ad ea quae sibi placerent eum invitum inclinaturum. » Alia quoque multa conversus ad Venetos addidit « celare non velle se ab *Laurenticulo*, isto « Lorenzino », ut aiebat, impulsum fuisse ut papae de Verona et Brixia omnem licentiam daret. Sane conventui se adhaesisse, eo vero consilio ut litibus finem imponeret, tum his quas cum principibus vicinis haberet, tum his quae ab Anglia imminerent. Velle se regem omnipotentem, victorem ac dominum esse nec fore ut quamlibet sententiam sequeretur nisi cujus vellet. Se jam cum isto Laurentio haec confabulatum fuisse et dixisse. Si papae mens ea esset ut ambo inter se amicitiam jungerent (*alla bon hora*),

(1) *Grimani ad Concilium Decem virorum*, 15 nov. Arch. Ven. Capi del Consiglio, Busta 9,168, 169. *Oratores Veneti ad Concilium*, 12 nov.; M. Sanuto, 338. *Johannes Michiele ad Sigismundum d'Este*. Epistolae, oct-nov. 1515. Arch. Mutinense. Carteggio degli amb[ri] in Francia.

oportere Bononiae conventus haberetur, sed se non eo iturum nisi hominum viginti quinque milibus stipatum et ea lege ut quatuor ex portis urbis sui juris essent : quod si iste papa Mutinam aut Regium venire vellet, aulicos solum et custodes corporis adducturum secum : praeterea nec comedere cum papa nec in eodem hospitio velle commorari, sed unice cum eo negotia agitare. Cum talibus verbis *Laurenticulum* istum dimisisse et quid esset responsurus expectare ». Legati abierunt regis furore territi cujus impetu Franciscus sesquihoram accensus remansit (1).

Licet conjicere colloquium quod cum « isto Laurenticulo » antea habitum erat non fuisse urbanius quam clamosus ille sermo fuit quem rex coram legatis congregatis edidit. Revera illius formidandae irae (fictae forsan aut ex consilio verbis auctae) (2), ille urbanus, sed callidissimus Franciscus turbam ex industria sic dedisse videtur ut papae quasi stimulos adhiberet et negotia acceleraret diutiùs pendentia. Ille autem sermo tam vehemens optimas res effecit : Laurentius 16ª profectus erat terrore perturbatus : paucis post diebus, regi litterae allatae sunt quibus Bonivet papam profitebatur ad omnia paratum esse ut regi placeret ; jam Bononiam versus iter facere cœpisse ; dimidiam urbis partem et portas quatuor arbitrii Francisci futuras ; se ipsum generosis suis ministris et octingentis tantummodo militibus armatis circumdari. Studium quoque suum et in Francorum regem amorem papa omni asseveratione confirmabat. Rex iras posuit aut cum petita impetrasset, visus est considere. Post diuturnum cum Ludovico de Canossa colloquium habitum, Franciscus Antonio Grimani renuntiavit

(1) *Grimani ad Concilium*, 17 nov. Arch. Ven. *Capi del consiglio*... B. 9. 171. — *Torelli ad Cardinalem Estensem*. Arch. Mutinae, Carteggio degli ambasciatori in Milano.

(2) Illa tam formidanda ira quam bis tam opportune erumpere videmus, imperatoris Napoleonis I furias fictas adversus legatum in proximo Concordatorum anno 1802 in memoriam revocat. Non omnes Italos hoc modo Franciscus ille decepit. « *Benche questo Re fusse giovane*, legitur in summario anonymo Florentino, *era savio et grandissime simulatore* ». *Sommario delle cose di Firenze* (*Manuscriptum*), II, 9, 19. Manoscritti Cerretani. Biblioteca Nazionale Florentiae.

papam omnia quae expostulasset concedere. Quamobrem exercitus sui partem incepit dimittere (1).

Veneti nihilominus curis agitari : multa eos sollicitos faciebant : insolita rex imprudentia esse videbatur; praeter omnis generis pericula quibus eum amores inconsiderati offerebant, sero solus domum redibat : lamentabantur veteres ministri cum Robertet qui nullum esse remedium praedicabat nisi ut quamprimum conventus fieret et rediretur in Galliam sine mora. Non cessant Venetorum legati regem precibus ad Reipublicae negotia pertinentibus lacessere : 25ª cum erat iter suscepturus, ad eum Senatus litteras direxit quibus res suas studio regis commendabat (2). Dux ipse Ferrariae, 23ª, non prius a rege abierat quam pollicitus ille fuisset idem studium in res Ferrariae Bononiae demonstraturum ac si ageretur de Mediolanensi ducatu (3).

Inter tot metus, ambitus et colloquia, rex a conventu habendo minime abhorruerat. Papa quidem suae confidebat facundiae ut causam vinceret : rex vero non minus proprii ingenii dotibus fretus erat « Mihi persuasum est, inquiebat, fore ut ego eum decipiam ». Nec Antonius Duprat solus favebat conventui a quo commoda multa expectabat, sed ipsa Aloysia de Sapaudia regem vehementer ut id faceret hortabatur. Scripserat etiam « *qu'il ne sauroit faire quelque chose de plus honorable après la victoire que d'aller baiser les pieds de Sa Sainteté* ». Neminem fugiebat, nec callidissimam regis matrem, nec Franciscum imprimis sub hujus astutae formulae verbis, cujus ope salva erat debita papae reverentia, res multas latere. In Francorum castris, in Christianissimi consilio certum erat omnibus Leonis X superbiae assentiri et ejus mentem gratis erroribus oblectare, eo consilio ut existimaret se, ut ita dicam, Canos-

(1) *Grimani ad X.* 25 nov. Arch. Ven., Capi del C. B. 9, fº 173.

(2) *Grimani ad Concilium.* 27 nov., 28 nov., Arch. Ven., Capi del consiglio, B. 9, 175, 176, 177. — *Concilium Decem virorum ad Franciscum Regem.* Arch. Ven., Collegio IV. Secreta, Filza 4.

(3) *Dux Ferrariae ad Cardinalem Estensem*, 24 nov. Arch. Mutinense, Casa. Carteggio fra i principi Estensi.

sam ire et Gregorii VII personam facturum : tunc enim a Papa beatissimo somniis sopito liceret pro tanto thure incenso et tantis effusis ad ejus honorem blanditiis, sonantes nummos, agros multos et ecclesiastica privilegia auferre.

CAPUT III

DE PAPAE ET REGIS ITINERIBUS

I. — Unum restabat dirimendum, de quo multae fuerant disputationes, ubinam scilicet papa et rex conventuri essent ; 17ª novembris, etiam tum Franciscus volebat de conventus loco deliberare. Primum ille rex, ait Paris de Grassis, in animo habebat « personaliter in Urbem (Romam) venire devotionis gratia ut et limina Apostolorum visitaret utque pedem Papae oscularetur (1). » Sed significavit se non venturum quin totus eum exercitus Francorum comitaretur : « eum esse regium apparatum et ad existimationem regis pertinere ; Carolum VIII Florentiam ac Romam cum pompa militari intravisse : cui rex in proelio Marignano victor factus nollet cedere » (2). Specie vero hujus consilii aliquid majoris momenti latebat. Censebant enim omnes summam futuram fuisse temeritatem si Christianissimus ita modico praesidio papae se credidisset, tam procul a Mediolanensi regione in qua exercitus castra faceret et ipso tempore quo nondum cum Helvetiis compositum esset (3). Ceterum tali « ad limina » itineri nunquam papa assensus fuerat ; rerum similitudo quae fuisset cum Carolo VIII Romam ingredienti non ea erat quae Pontificis animum in propositum illud inclinaret. Consilium hoc recordationem renovabat rerum maxime in tali tempore importunarum : Alexandrum papam VI pavidum et in Castellum confugientem, Carolum a Pontifice extorquentem ut jus suum in Neapolim confiteretur, Romam denique Christianissimo Neapolim con-

(1) Paris de Grassis, *Diarium*. Arch. Vat. Miscell. Arm. XII, t. 23, fº 139.
(2) Guicciardini, *Storia d'Italia*. Lib. XII, cap. vi.
(3) *Oratores florentini*, 31 oct. 1515, Arch. Flor. *Letter. est.* Resp. 12, 39.

tendenti in stationem factam. Leo autem malebat regem arcere a Castello Sancti Angeli quod vere limini Sancti Petri propius situm erat, nam accidere poterat « aliquid novum » extra agros Ecclesiae aut procul a finibus regni Neapolitani aut a ducatu Urbinensi. Ille libenter Florentiam venisset quam amore civili diligebat, sed et pietate urbem proprie suam, parentem honestarum artium : ibi nomen ejus tunc in maxima gloria resplendebat, ibi patrem et avum omnia praedicabant (1). Iter ei longius formidini erat propter fistulam acerbissimam ac periculosam plagam quae sane eum, cum diutius iter equo fecerat, saevissimis cruciabat doloribus. Laurentius vero et Julianus de Medicis minime studium adhibuerant ut Christianissimus Florentiam veniret : timebant enim ne factio eorum qui popularis civitatis erant studiosi ex adventu Francorum regis (nam olim Carolum VIII adjuverat) novam spem et vires traheret (2).

Tum papa Bononiam proposuit, terram ad Ecclesiam pertinentem et proximam Longobardis : ibi praeterea neque papa neque rex ullo egerent militum praesidio (3). Id placuit Francisco qui, pleroque dimisso exercitu, ad iter in Aemiliam faciendum se comparavit, sequentibus ad summum quindecim milibus hominum (4).

Inter haec difficilia de loco deligendo negotia fuerant a papa plerique cardinales coacti undique et Fani Voltumnae (Viterbo) congregati. Per breve quoque cardinalem Achillem de Grassis, Bononiensem episcopum, monuit urbem ejus esse conventui designatam et Antonium Patio, notarium apostolicum Bononiam modo petiturum ut quae opus essent praepararet (5).

(1) *Alphonsina Orsini ad Laurentium de Medicis*, 20 oct. 1515. Arch. Flor. ; Arch. Medicco, Filza CV.

(2) Paris de Grassis, f° 139.

(3) *Oppizo Remi ad Lucretiam Borgia*, 29 oct. 1515. Arch. Mutinense; Cancellaria, Carteggio ambri in Bologna.

(4) *Grimani ad Concilium*. Arch. Ven. ; Capi del Consiglio. Busta 9, 173-175.

(5) Paris de Grassis, f° 14.

Bononia ipsa non satis remota Florentia, Roma, Neapoli quibusdam Leonis amicis et consiliariis videbatur. « Non parera sicaro havendo il Re in Italia tanta gente et essendo signore dello stato di Milano » *Summario, jam cit.* Mi Cerretani Mti della biblioteca nazionale, Florentiae.

In vigilia Omnium Sanctorum papa priores vesperas cantavit quibus adfuerunt cardinales tredecim qui statuto tempore venerant inter quos duo illi qui erant concordata tractaturi, scilicet Laurentius Pucci, titulo Quattuor Sanctorum Coronatorum (vulgo eum « cardinalem Santi Quattro » appellabant), et eruditissimus Petrus de Accolti, titulo Sancti Eusebii qui ab urbe episcopali nomen sibi retinuerat « cardinalis d'Ancona ».

Externi oratores qui papam Viterbum euntem erant comitati, sacris Omnium Sanctorum solemnibus sedentes in chori stallis interfuerunt : erant Robertus Acciajuoli, Florentinorum orator, Marinus Giorgi, Venetorum, Alexander Glabanetta, Mantuanorum, Hieronymus Sacrati, Ferrariensium, etc. Ipsa Omnium Sanctorum die, acta sunt Viterbi sacra diuturna et magnificentissima quorum nolumus minutissima tempora nostri instar verbosi chronographi de Grassis edisserere (1).

Die eadem, post meridiem advenientem inspexerunt Guillelmum Gouffier, admiralem de Bonivet, regis legatum extraordinarium et summi magistri fratrem; qui divertit in diversorium « della Corona ». Eo venit ad ejus colloquium Marinus Giorgi, cupidus ceteris oratoribus et cardinalibus artissimam ambarum nationum societatem demonstrandi (2). 31ª autem, alius quoque nuntius advenit nemini expectatus, Raymundus de Cardona : missus a Catholico erat qui precibus extremis papam in societate domini sui sustineret et a conventu quolibet prohiberet. Nil vero jam poterat Leonem a proposito revocare : quare Hispanorum dux postulationem suam nihilo consecutus Neapolim reversus est (3). Die enim postera, San Severino ad Franciscum missus est de rebus quibusdam conventui disponendis (4). 3ª novembris habuit papa consistorium cui cardinales quatuordecim interfuerunt : Leo X ibi descrip-

(1) Paris de Grassis, f° 140.

(2) Marin Giorgi, 3 nov. Arch. Ven. Ambri in Roma. Busta 22, f° 20. *Ibid.*, 4 nov. Marin Sanuto, 273.

(3) Paris de Grassis, XII, 23, f° 14. — Marin Giorgi, 31 oct. 1515. — M. Sanuto, 271. — Paulus Jovius, *Historia sui temporis*, 184.

(4) Paris de Grassis, f° 140. — *Ariosti ad cardinalem Estensem*, 4 nov. 1515. Arch. Mut. — Marin Sanuto, 273.

sit rationem itineris quae sibi esset constituta : velle per Senam iter facere et Florentiam die festo sancti Andreae contingere ; confecto Bononiensi congressu, Florentiae et Pisae in revertendo mansurum et Romam reducem in Ramorum dominicam fore : quamobrem concilium ad secundam post Pascha dominicam prorogaverunt. Concilio interdum negotia asperrima solvenda parabuntur (1).

II. — Magna comitantium caterva in multa agmina distributa est quae vicissim profecta sunt et Florentiam petierunt. In itinere acciderunt casus varii quos Paris de Grassis explicavit sicut et in suis epistolis externi oratores (2). 19ª novembris, vespere, prope ad portas Florentiae omnes erant congregati. Papa ad monasterium San Gaggio se contulit propter urbem situm et postera die Florentiam magnificentissime introivit : cujus rei memoriam fasti aevi illius artium renascentium excidere non siverunt (3). Haec fuit occasio ludos instituendi in quibus aemulati sunt architectorum clarissimi : Antonius de San Gallo, Aristoteles de San Gallo Jacobinusque Sansovino; sculptorum, Baccius de Montelupo et Baccius Bandinelli; pictorum, Andreas del Sarto, Pontormo, Granacci, il Rosso, Andreas Feltrino, Perinus del Vaga; coloratorum, Julianus del Tasso; in quibus ludis, si licet recentis cujusdam scriptoris verbo uti, nemo victus fuit.

Non licebat festorum causa diutius negotiorum oblivisci : ceterum viri illius XVI seculi hac industria fuerunt ut simul

(1) PARIS DE GRASSIS, f° 142.

(2) *Summario jam cit.*, f° 37. M[ti] Cerretani, bibl. nazionale, Florentiae. — PARIS DE GRASSIS, f° 142, 150. — MARINUS GIORGI, 31 oct., 18 nov., 28 nov., M. SANUTO, 271, 373, 374, — *Girolamo Sacrati*, 15 nov. *Oppizo Remi* 1 nov. Arch. Mutinae, Carteggio amb[ri] in Roma, in Firenze. — *Stuffa et Salviati*, 8 nov. Arch. Flor.; *Lettere Est.* Resp. 13. *Oratores florentini* 8 nov., *Ibid. Serristori et Ricasoli* 17, 18 nov., Arch. Flor., *Lett. est.* Resp. 13. *Al. Nero* 10 nov., ibid. *Oratores florentini*, 12, 13, 14, 15, 16, 20 nov., Arch. Flor., *Lett. Est*, resp. 12, 407, 419, 421, 435, 438, 440.

(3) M. GIORGI, 30 nov. — M. SANUTO, 374. — PARIS DE GRASSIS, f° 15, 16.

(4) VASARI, *Storia dei pittori*, passim. — E. MUNZ, *La Renaissance*. — *Sommario delle cose di Firenze jam cit.*, II, 9-19, f° 37. Mti Cerretani, Biblioteca nazionale, Florentiae. — Archivio storico Italiano III, 481. Spese fatte per la feste in Firenze in occasione della venuto di Leone X.

ad luxuriosissima festa et ad asperrima negotia intenti essent. Postera die quam in urbem intraverat, papa in sacello « Sancta Maria Novella » gravissimis de rebus consistorium secreto habuit : volebat legatorum coetum creare qui regem in agrorum Ecclesiae finibus exciperent. A Paridi de Grassis papa quaesivit qui honores Francisco Bononiae in consistorio habendi essent. Caerimoniarum magistro contradicenti cardinales ad res politicas magis intenti quam ad honorum regulas, cum Francorum rege imprimis consentiendum esse et voluntati ejus obsequendum professi sunt : quod sane scriptori nostro stomachum movit. Papa cardinales Nicolaum Fieschi et Julium de Medicis legatos designavit, necnon praelatos quos in legatione esse decebat : qui hac ipsa die profecti sunt (1).

Regi placere maxime studebat papa : speciosissimam etiam crucem in donum ei offerendam et e thesauro Julii II detractam (quam defunctus ille Pontifex Christianissimo profecto non servaverat) Florentiae gemmis illigari jussit.

Postera die, missa solemniter ad Sanctum Laurentium peracta est. Refert ille Paris non habitum fuisse sermonem quod Cardinales morae impatientes essent et vellent plerique statim a sacris Florentia exire.

Papa ipse Bononiam contendit par Florenticulam et Lugunum : 7ª, in conspectu urbis fuit et se ad Cruciferorum monasterium prope Bononiam contulit. Caerimoniarum magister in urbem ante papam ingressus est ut omnia ad excipiendum illum ordinaret, et ibi acerbiores molestias accepit quam unquam in faustissima vita sua.

Bononienses enim illis temporibus animos hostiles gerebant : quorum urbem Julius papa, novem annis antea, invitam terris Ecclesiae adjunxerat, expulsis Bentivogli quorum generi permulti cives adhuc favebant. Quare, ait Paris « omnia signa moestitiae fuerunt Pontifici exhibita, nam et nullus clerus advenit obviam pape usque ad portam, licet cardinalis Bononiensis ibi fuerit, petens crucem osculandam per Pontificem, sed

(1) Paris de Grassis, *Diarium*. — Marin Giorgi, 7 déc. — M. Sanuto, 375.

cum nulla apportata fuisset quedam simplex et rustica ex parochia vicina ibidem fuit apportata quam papa quasi cum risu osculatus est et nullus alius clerus altaria deposuit per vias sicut ordinaveram, tandem clerus basilicanus in media via positive papa obviavit, baldachina duo fuerunt per facchinos, sive publicos gerulos ad papam apportata de quibus cardinales mirabiliter riserunt rusticitate, Bononienses magistrati praesertim quod baldachinum pro corpore Christi esset ex sana aut tela veteri, simplici, attrita et maculosa, quod fuit non solum ridiculum, sed et scelestissimum illud ante papam offerre, et ego dixi pape hoc crimen quod patientissime tulit, cum tamen cardinales omnes indignissime ferrent et destarent ac propterea mandavit suis parafrenariis ut illum interrumperent prout fecerant. Unde papa misit illud quod ex auro et serico erat ad honorandum corporis Christi et ipse voluit esse sine ullo baldachino in quo optime et humanissime fecit....... Semper a suis parafrenariis fuit gestatus usque ad Ecclesiam cathedralem... Et paucissisme acclamationes audite sunt. » .. « *Non fu intra sumptuosa nè con troppo cridar Leon! ne Palle!* » scribit Marinus Giorgi, et Paulus Jovius dicit papam Bononiam intravisse « *con freddo aparato e pochissime acclamatione* (1) ».

In hunc modum excepto augurari adversa licebat, nec potuit Leo X hujus plebis silentium aegre non ferre post auditos Florentinorum clamores, sed saevitiam non cogitavit adhibere cum de negotiis multis sollicitus esset.

Vespere sabbati 5ª decembris, advenerunt equites duo splendidi cum multo comitatu qui magnam sui curiositatem concitaverunt, Odetus de Foix, vicecomes de Lautrech, vir asper et durus, et senex ille Ludovicus de la Tremoïlle qui Marignani duos dies, juvenum instar, laborem pugnae sustinuerat. Quos rex praemiserat ad paranda hospitia « pour accorder avec les commis de N.S. Pere le Pape, de la forme, de la venue et comme pendant icelle les gens d'un costé et d'aultre se main-

(1) Paris de Grassis, *De ingressu in Bononiam*. — Marin Giorgi, 9 déc., — Paulus Jovius, 15 déc. — M. Sanuto, 371, 391.

tiendroient affin qu'il n'y eust debat ne question et aussy pour pourveoir aux logis des François qui iraient au dict Boullongne (1). » Hi munere suo functi sunt, refert Marinus Giorgi « *con gran faticha e gran confusion* (2) » quanquam papa, ad eos suum misit Andream de Franceschi et ipse cum eis 9ª mane colloquium habuit.

Gravissimum erat illo tempore illud habitationum negotium cui a Ferraria cardinalis Estensis, a Milano Venetorum oratores et maxime Ludovicus de Canossa praecipue studebant. Cum virorum Lautrech et la Tremoïlle adventum annuntiabat, legatus multo studio petebat ut sui etiam cura haberetur. « *Mifarebbe*, scribit, *un gran servizio perche debito non mi trovar un vescovo, ambassatore, conte et favorito senza alogiamento, perche io non sero in su la lista de Roma et in simil locho non poterei domandare logiamento ali Francesi et Dio voglia che a me non advenga piggio che a Brandino il quale volea mettere il letto in una sala et che a me non bisogna meterlo in nel cortile* (3). »

Lunae die, mensis 10ª, apud papam deliberatum est de ultimis quibusdam caerimoniis : nam rumor erat Christianissimum Pontem Reni, qui paucis a Bononia millibus situs est, jam advenisse. Paris de Grassis, quem sententiam poposcerunt, longum responsum fecit et dixit expedire se, antequam rex ingrederetur, cum eo colloqui et aliquem Francorum adjutorem sibi deposcere : quaesiturum etiam a rege num vellet pedem, dextram et faciem Papae osculari ; utrum etiam vellet stare aut sedere, ipse formulam obedientiae recitare aut alii cuilibet rem hanc committere : quae omnia maximi momenti essent. Hoc quoque munus a papa Paridi datum est ut regem maxime moneret ne quidquam in consistorio a Leone imploraret : quaereret etiam num rex vellet palatium ingressus quiescere in cubiculo ac comedere ; necesse enim fore ut cardinalibus convivium appararetur. Finem loquendi fecit magister caerimoniarum di-

(1) Barillon, I, 165, 166.

(2) Marin Giorgi, 9 décembre 1515. — M. Sanuto, 368.

(3) *Ludovicus de Canossa ad Julium de Medicis*, 3 déc. 1515. Arch. Flor., Arch. Mediceo, Filza CIII.

cendo Francos maxime a « mille insaniis et fatuitatibus Gallorum » prohibendos quae admittere consuevissent Burcardusque ejus praedecessor in diario suo jam retulisset (1). Paris pariter operam se daturum promisit ut vini et cibariorum dispensatores in promptu adessent, si rex in cubiculo comedere vellet : ut etiam vir quidam servis praeficeretur qui caveret ne inter Francos custodes et Romanos famulos jurgia orirentur. Papa denique qui nolebat sane magistro caerimoniarum, viro ferocissimo et Francis hostilissimo credere omnia, statuit San Severino, nuper a rege reducem, rursus ad Franciscum delegare qui cum eo, antequam Bononiam introiret, loqueretur. His de rebus decreto, a consistorio surrexerunt et Paris coepit ad Pontem Reni iter facere : quem comitabatur densior in horas multitudo eorum qui in Christianissimi occursum properabant.

III. — Exierat ille Mediolano 3ª decembris cum quinque milibus equitum ; eum in urbe conversantem, legatos quoque ac totam aulam voluptates diversissimae oblectaverant. Per campum pugnae causa Marignani commissae jam insignem iter fecerat ; Placentiam petierat quae eum luxuriose exceperat et per Borgum Sancti Domini, Parmam venit quae introeunti ei ornamentis multis resplendebat et festiva laetitia gestiebat.

Rex Parmae commoratus est totam diem decembris 7ª et rite ad se admisit quatuor nuntios quos diximus Pontificem misisse, necnon Laurentium de Medicis quem Andreas Gritti adivit, benigne ceterum exceptus, nam Laurentius tum Galliae Venetiisque totus deditus erat. Rex quoque a papa plenas amicitiae litteras accepit; monebat eum Leo duos emissos esse nuntios qui eum in Ecclesiæ terras ingredientem salutarent. Mille enim Parma passibus, cardinales duos prospexerunt mulis incedentes, quos rex admirabiliter coluit et duos inter medius ivit. Tali apparatu Regium una intraverunt omnes « *E cosi feno la intrata in questa terra di Rezo ch'e una bella cita e fornita di bellissime done piu che terra habi visto in questo*

(1) Paris de Grassis.
(2) *Ibid.*

viazo » refert Contarini qui videtur festivo animo munus suum implevisse. In multa ceterum festivitate peregrinatum est, quanquam neminem negotiorum oblivio cepit : nam Miscomino, Ferrariensis minister, vehementem in via habuit cum cardinali Fieschi et summo magistro de Boisy controversiam de jure quod ducis, domini ejus, in ipsam regionem esset per quam iter facerent (1).

9ª, Rex Mutinae dormivit : ibat celerrime magna cum molestia cardinalis de Medicis, viri ad disputanda negotia aptioris quam ad equitandum (2). Sed 10ª, Franciscus Mutina egressus est et Pontem Reni petivit, tribus Bononiae passuum milibus situm et in taberna, ait Paris de Grassis, dormivit (3).

Sed, antequam huc adveniretur, contigit aliquid in via suavissimum : regi occurit matertera ejus Philiberta de Sapaudia, missa a papa quae Franciscum loco infortunati Juliani qui tunc Florentiae moribundus erat salutaret. Illam « Magnificam » (sic ab aequalibus appellata est) principessam in splendido apparatu et auratas vestes indutam Laurentius, qui a rege discesserat, comitatus erat. In alterutrum rex et ejus junior matertera omnimodas blanditias effuderunt. Post Juliani uxor et Laurentius regem Pontem Reni usque secuti sunt : inde Philiberta Bononiam, facibus collucentibus, redivit (4).

Paris de Grassis autem Bononia meridie profectus erat, non parum anxius et fungendo munere superbiens, cum esset Christianissimum leges caerimoniarum docturus. Regem prospexit inter duos cardinales medium incedentem et cum

(1) *Oratores Veneti apud Regem ad Decem viros*, 28, 29. M. Sanuto 345. — *Johannes Cornaro ad Marcum Contarini* 27 nov. M. Sanuto 346. — *Oratores Veneti ad Decem viros* 27 nov. Arch. Ven. Capi del consiglio B. 9, fº 175. — *Johannes Contarini*, 5 déc. 1515. M. Sanuto 365. — *Andrea Gritti* 5 déc. M. Sanuto 368. — *Johannes Contarini* 8, 9 18 déc. 1515. M. Sanuto 371. — *Johannes Michiele ad Sigismundum d'Este.* nov. 1515. Arch. Mutinae. Carteggio ambri in Francia. — Æneas Pio et Fr. Miscomino ad cardinalem Estensem 9 déc. Arch. Mutinense. *Lettere dei principi esteri.* — Vettori, *Sommario.* — *Leo X ad Franciscum* I, 2 déc. Bembo, Ep. 243. — Barillon, Mém. I, 165, 166.

(2) *Cardinalis de Medicis ad Laurentium*, 9 déc. 1515. Arch. Flor. Arch. Mediceo. Filza LXVI, fº 305.

(3) Paris de Grassis.

(4) *Summarium diversarum epistolarum de Bononia missarum*, 11 déc. 1515 M. Sanuto 377. — Barillon, t. I, p. 165 166.

eis jocose colloquentem. Adiit eos et nomen suum titulosque solemniter appellavit. Franciscus, quod tanti erat momenti munus facete nimis habere visus, respondit hilaris sibi Paridis operam utilissimam fore, qui rerum harum rudissimus esset. Inde in hospitium Regis ingressi, alios nuntios invenerunt nuper deputatos. Papa, regi, sine dubio, placendi mire studiosus, legationes sine intervallo ad eum mittebat. Nunc aderant sex cardinales quos inter San Severino qui, refert Paris, diutissime et lepidissime cum rege sermonem habuit : ea etiam quae a magistro caerimoniarum proposita erant interpretatus est et addidit cardinales omnia decreto regis referre. Qui ad Paridem conversus responsum benigne dedit de rebus singulis : gallice vero cum loqueretur, ille chronographus qui prorsus « vulgare gallicum » ignorabat nihil intellexit (1). Quare Francisco ab eo quaerenti num intellexisset sincere dixit ne unum quidem verbum se audivisse. Risit rex, et riserunt quoque cardinales et ea quae maxime interessent caerimoniarum magistro interpretati sunt. Rex praeterea dixit nihil se novi facturum quod ad pompas pertineret : velle moribus parere : petere vero ut non quidquam omitteret ex his quae ad regis decus observantiamque attinerent (ceterum ex camerariis virum designavit qui Paridi comitaretur et domini sui voluntatem ei interpretaretur) : nolle in consistorio inter cardinales sedere, sed osculaturum papae pedem, dextram, faciem; obedientiam non in primo, sed in alio consistorio promissurum. Haec autem magistro caerimoniarum fuerunt ingrata qui uno eodemque die volebat papam negotia omnia absolvere ne in conventu nimium morarentur « propter expensas, ut opinor, et propter mille incommoda quae cum tempore venire solent et possent (2). » In hoc jam adversa papae et regis apparent consilia. Vult enim Pontifex brevem conventum esse : regem scilicet obedientiam humiliter promittere, Pragmaticae abolitioni assentiri et papae consiliis de poenis a duce Urbini repetendis : regem vero

(1) Paris de Grassis.
(2) Paris de Grassis.

alia multa negotia agitabant ad rem politicam, nummariam ecclesiasticamve spectantia.

Instanti Paridi ut in primo consistorio rex formulam obedientiae recitaret, Franciscus, in rebus minimis facilis, obsecutus est : sed continuo ad colloquia producenda aliud excogitavit : petiit ut papam missam solemniter proxima dominica celebraret. De consistorio professus est acturum se quemadmodum in simili occasione Francorum reges se gessissent. Denique orationis quem Duprat habiturus erat exemplar Paridi dederunt; orationem multum ille laudavit quae praeterea jam in ore omnium erat. Rex magistrum caerimoniarum monuit se postero die mane Bononiam introiturum : recta via ad aedes papae iturum : hospitio quod paratum sibi fuisset interim usurum; pransurum ibi et papam aditurum. Promisit se nihil in consistorio publico posciturum, cujus rei formido maxime Leonem agitabat, virum ad occultationem proclivem cui erant clamosae lites coram omnibus odiosae. Rex quoque Paridi quosdam comitatus optimates manu indicavit qui et ipsi pedem Pontificis cuperent osculari; tandem ut tot negotiorum finem faceret, Franciscus duos Paridi camerarios adjunxit professus se non posse omnia quae ille Paris commendasset tenere memoria : nihilominus non omnes prorsus urbanitatis leges sibi esse incompertas. Ad haec caerimoniarum magister, ut videretur offensus, respondit « rem adeo facilem non esse : Carolum VIII, quanquam praelato Burcardo se dedisset erudiendum, in multis tamen erravisse et reverendissimos cardinales non aliter ac ignobiles clericos coluisse ». Rex maligne subrisit et respondit *se neque in rebus aliis multis neque in hac cum Carolo VIII conferendum* (1).

Postremo Paris a rege quaesivit utrum vellet apud Virgilium Ghislieri ad Sanctum Franciscum an in aedibus Papae excipi hospitio. Dudum jam erat de re ista controversia quod timebant ne inter se utriusque principis custodes rixarentur. Dubius rex rem cum cardinali San Severino disputandam in diem

(1) Paris de Grassis.

posterum distulit (1). Magister igitur caerimoniarum et cardinales ab eo discesserunt praeter San Severino qui colloquium cum rege vespertinum habuit; tunc ea quae de conventus habendi forma Francos spectabant statuta. Paris vero hora vesperis septima Bononiam rediit et Papae confectam a se legationem exposuit. Leo X contentus visus est : sed cum audivit regem valde desiderare die dominica missae solemniter celebrandae interesse, exclamavit (erat tum lunae dies) non licere tam diu Bononiae commorari, sed libenter se sacra confecturum in Sancti Petronii basilica die Jovis quae sanctae Luciae dies festa esset. Negotium Paridi dedit ut caerimonias praepararet quae futurae erant magnificentissimae (2). Vigiliam in multam noctem produxerunt tum in Pontis Reni campana in qua rex cum San Severino, Antonio Duprat, Boisy, Bonivet de instantibus negotiis colloquebatur, tum in palatio Bononiensi in quo de ordine solemnis missae et consistorii agebatur. Ea erat, ut ita dicam, armorum vigilia qua uterque ad propriam repraesentandam personam accingebatur : papa quidem ut in caerimoniis solemnibus blanditias a rege acciperet, rex vero ut in negotiationibus opes sibi a papa obtineret.

(1) Paris de Grassis. — *Oratores in Bologna*, 11 nov. 1515. Arch. Mutinae Carleggio amb[ri] est. in Bologna. — *Grimani ad X* 17 nov. Arch. Ven. *Capi del consiglio* B. 9, f° 171.

(2) Paris de Grassis.

CAPUT IV

DE CONVENTU INTER PAPAM ET REGEM HABITO

XI[a]-XV[a] DECEMBRIS

I. — Die Martis, mensis 11[a], primo mane Venetorum oratores, qui sex et triginta abhinc horis erant Bononiae, urbe exierunt: quos comitabatur Marinus Giorgi eorum civis et collega. Volebant cum Francisco Bononiam triumphali pompa invehi : cum duces Venetorum laborassent 14[a] septembris in campo Marignano, oportebat oratores gloria nunc fruerentur. Oportebat imprimis neminem lateret gentes duas pugnavisse ac victoriam cepisse, idque rex recordaretur. Regi in via Pontem Reni inter et Bononiam occurrerunt et adierunt eum qui comiter, ut solebat, pileum manu tenuit et verba aliqua fecit, nec prius caput operuit quam ipsi oratores simulassent quasi caput suum operirent : sic discebat rex fasces submittere (1).

Magna plebis in via occurrerat multitudo : rex autem duos inter legatos Fieschi et Medicis medius incedebat. Mox etiam Laurentius apparuit Helvetiis pontificalibus praefectus qui et ipsi dura lege in comitatum victori Marîgnani adjungebantur.

Ad portam *San Felice*, rex in undeviginti cardinales incidit qui prima luce in palatium coierant : inde praeeunte venerabili decano cardinali San Giorgio ad portam universi contenderunt « cappà magnà » induti. Cardinalis San Giorgio in occursum regis processit, ceteris octo et decem sequentibus quos aspiciens Franciscus velociter caput nudavit : cardinalis autem

(1) *Summarium Epistolarum*, 11 déc. M. Sanuto 377. — *Grimani ad X*, 11 déc. M. Sanuto 372.

Ostiensis regi pro Sacro Collegio orationem habuit qua Franciscus, qui pileum manu semper tenebat, gallice respondit sincere et congrue, ait Paris (1). Post, cardinalem Ostiensem et ceteros ex ordine amplexus est quos ei Paris de Grassis, caerimoniarum harum particeps, ut decebat, singulos obtulit. Pompam ordinaverunt : regi cardinales praeierunt, Franciscus ipse inter duos cardinales diaconos medius, formosum scilicet San Severino et clarissimum cardinalem Hippolytum Estensem. Erat prima post meridiem hora (2).

Hujus pompae coruscantis Italia memoriam diu servabit; qua licet incomposita non ullam unquam magnificentiorem se vidisse magister caerimoniarum Sanctae Sedis fatetur.

Post impedimenta incedebant ducenti papae arcuballistarii vestimentis induti flavo, rubro et nigro colore variatis cum flavo pileo, quorum sonabant immanes tubae mixtae cum campanarum sonitu quas supra undeviginti Bononienses ecclesias agitabant, tonantibus fistulis fulmineis. Dein ducenti ex custodibus regis optimates aurati et sericati omnes quorum agmen ducebant summus Northmaniae senescalcus et dominus de Saint-Valier : post, praecones regis quorum vestimenta caerulea aureis lilii floribus sparsa erant; regiae domus pueri cum cultu roseo, officiales domestici sumptuosis vestibus induti quos ducit summus scutifer luxuriosus Galeas de San Severino qui tunc splendidus erat. Tum domus singulorum cardinalium, officiales et optimates a papa in occursum Christianissimi deputati qui Romani patricii aut nobiles Florentini erant : deinde quinque Venetorum oratores veste serica et violacea quam depinxerunt Tiziano, Veronese et Tintoretto induti : ceteri apud Francorum regem legati, ministri Ferrariae, Mantuae, Florentiae, Senae, Romae, etc : tunc denique prospicere licebat viginti unum cardinales purpureis cappis magnis involutos et inter cardinales diaconos medium Christianissimum, veste argentea et serica indutum cujus tectum erat caput pileo e nigro veluto cum crista ejusdem coloris : bacil-

(1) Paris de Grassis.
(2) Paris de Grassis. — Fleuranges, *Hist.*

lum manu tenebat et admirabilis equus eum vehebat totus veluto nigro vestitus. Hic oportet cultus speciosus in memoriam revocet unicuique juvenem illum gracilem, venustum, bellissimum et lepidissimum cujus erant oris lineamenta purissima et cutis quasi eburnea, quem Raphael in Vaticani muris depinxit quique oculos admiratione occupat adversus sanguinolentum et ignobilem Leonis X papae vultum. Quare unus ex his qui equestri pompae illi adfuerunt, Paulus Jovius, cum scriberet maxima admiratione incensus, regis descriptionem facit quae quasi adumbratio est et lineamentum imaginis a Raphaele Sanzio pictae et his absolvit effigiem « Facies digna imperio » (1). Apud Italicam illam gentem in quam formosa semper, sed maxime in hac artis renascentis aetate tantum valuerunt, vere praestitit rex propter bellissimam suam speciem et comitatem suavissimam et expeditissimam quae animos omnium ineffabili et imperioso modo tentabat. Proibat subridens, quem principes uno ordine sequebantur : comes stabuli de Borbone, juvenis et ipse et habitu admodum virili, dux de Vindocino, dux Anthonius de Lotharingia et Barro, Sancti Imperii princeps, et Ludovicus de Aureliano, dux de Longavilla et de Novo Castello in Helvetia princeps. Post triginta viri promiscue veniebant, duces Francorum aut Itali principes qui Forinovi, Agnadelis, Ravennae et Marignani fortiter et clare se gesserant : hos juxta, viri qui erant postea Francisci I et Henrici filii ejus exercitibus imperaturi : Ludovicus de la Tremoïlle, comes de Saint-Pol, insignis eques ille Bayard, Claudius de Guise tum juvenis, admiral de Bonivet, d'Aubigny, Lautrech, de la Guiche, etc : marchio quoque de Salucia, Fridericus de Gonzaga, marchionis Mantuae filius, Laurentius denique de Medicis qui sperabat se non prius urbe hac exiturum in quam cum rege, Italiae arbitro, introibat, quam principatu quoque decoraretur. Cancellarius Duprat aurea stola vestitus et summus magister de Boisy cum ceteris ministris Christianissimum sequebantur. Agmen hoc splendidum coge-

(1) Paulus Jovius, 15 déc. 1515. — Sanuto, 391.

bant sescenti e custodia regis sagittarii aut arcuballistarii veste inaurata super cetera vestimenta induti, tandem equites arcuballistarii versicolore habitu incedebant ultimi in pompa illa quam multitudo ingens antecedebat et sequebatur effusa cum tumultu (1).

Haec pompa producta est per urbem amœnissimam tum recens refectam juxta hoc novum genus quod nunc tantopere oculos delectat, dispositis propter vias rubris illis aut pullis porticibus quas in genus Bononiense importaverat Balthazar Peruzzi. Pompa a porta San Felice progressa explicata sane est per viam nunc eodem nomine dictam quae exit in forum maximum cinctum Podestati palatio, communi palatio et verenda basilica Sancti Petronii. Arcubus ornatae viae « *á la mode d'Italie* », ait cancellarii scriba, illorum profecto similibus quos Leoni X erexerant Florentini et laude regis inscriptis. Haec omnia quam distabant a recenti papae in Bononiam ingressu (2)!

Hora secunda, pompa, sonantibus tubis, in forum intravit. Papa, qui in secundo tabulato palatii municipalis habitabat, ad fenestram, dignitatis immemor, exsiluit : quem magis delectabant speciosa spectacula quam ut posset huic deesse! Rem confirmant Paris de Grassis et imperatoris legatus qui tunc Leoni proximus aderat (3).

Rex, postquam cum San Severino fuerat collocutus, cognoverat se posse apud papam absque periculo diverti. Ejus praeterea intererat haberi quam plurima colloquia, inde papae proximum conversari. Quare diaeta ejus erat in primo tabulato palatii municipalis instructa et apparata (4).

II. — Regi prandium apposuerunt et quatuor cardinales ut secum comederent invitavit : Dovizzi de Bibbiena, Julium de

(1) *Summarium epistolarum*, 11 déc.; *Johannes Contarini*, 11 déc.; Paulus Jovius, 15 déc.; M. Sanuto, 375, 377, 391. — *Maximiliani legatus ad imperatorem* 12 déc.; Le Glay, *Nég. avec l'Autriche*. II, 85. — Paris de Grassis. — *Chronica manuscripta fratris Legnano*. Bibl. Ferrarensis.

(2) Barillon, t. I, p. 166.

(3) Paris de Grassis.— *Maximiliani legatus*, 15 déc. — Le Glay, *Nég*. II, 85.

(4) Paulus Jovius 15 déc.; M. Sanuto, 391. — Paris de Grassis.

Medicis, Innocentium Cibo, Leoni X familiarissimos, et Bandinelli Sauli, Galliae clientem. Pro cardinali Cibo vult Paulus Jovius fuisse cardinalem Pucci di Santi Quattro, quartum Leonis consiliarium qui erat concordata mox compositurus. Quos rex excepit cum multa magnificentia et amicitia, nam ad Curiam permulcendam animum jam applicabat in loculo quo Veneti oratores ad eum post prandium convenerunt (1).

Ceteri cardinales ad papam se contulerunt et ibi prandium comederunt : papa vero noluit convivio interesse, quod significabat comedonem illum aut animo commoveri aut curis gravissimis agitari.

Paris de Grassis, utpote vir in multis implicatus negotiis, dispositis in convivio cardinalibus, ad primum tabulatum descendit ut regem moneret ne ante ad superiora ascenderet quam eum papa arcesseret : tunc ad dominum suum rediit quem vestivit et in consistorii locum deduxit (2).

Palatium, portis patentibus, invaserat per gradus et mesaulas multitudo densa Bononiensium civium, officialium Curiae, domesticorum, militum et Francorum optimatum. Ipsum congressus locum ante regis adventum tam multi impleverant ut aegre, scribit Jovius, procederetur et magno in timore essent, ait Paris, ne locus iste corrueret. Venetorum legati huc haud facile subierunt etsi praeibat eis cardinalis Cornaro (3).

Cardinales autem sedes suas petierunt, salutatione prius ex more papae peracta. Sedebat ille Pontifex solio quatuor gradibus exstructo, tiara aurea et cappa ornatus, cui proximi aderant omnes oratores externi.

Habuerant in primo tabulato sermones infinitos, nam Veneti oratores surrexerant dicentes cavendum esse ne papa eos praestolaretur. Conjicere licet locutos fuisse de Verona et Brixia cum Sancti Marci oratores nil aliud magis curarent ; tum ad ascendendum unusquisque accinctus est (4).

(1) *Grimani* 11 déc. ; Paulus Jovius 15 déc. ; — M. Sanuto I, 372, 391.
(2) Paris de Grassis.
(3) Paris de Grassis. — *Pier Soranzo*, 12 déc. ; M. Sanuto, 380.
(4) *Summarium epistolarum* 11 déc. ; — M. Sanuto, 377, 380.

Surgens advocatus consistorialis Julius Stefanuzo solitam rogationem enuntiavit, cui papa ex more oblocutus est. Attamen refert orator Florentinus advocatum illum, relicto munere suo quod erat, in publici consistorii exordio, causam aliquam canonisationis introducendi, brevi oratione principes ad Crucis bellum hortatum fuisse (1).

« Accedat », ait papa, et Christianissimum introduxerunt. Erat hora tertia. Franciscus autem introivit, comitantibus optimatibus et ministris : « *il étoit vêtu d'une robe de drap d'or frisé fourrée de martes zibelines*, refert cancellarii scriba, *et accompagné des ducs de Bourbon, de Vendôme, du comte de Guiche, du prince de la Roche-sur-Yon, de M. le chancelier, du sire de la Trémoille, de Lautrech et de Boisy le grand maître* (2). Haud sine labore turbas per majores gradus transierat : quamobrem, ait chronographus, rex, utpote tranquillus homo, multum ridebat. Tandem ad secundum tabulatum, perventum erat. Christianissimus inter duos cardinales medius ad solium processit : quattuor a solio passibus stans capite pileum abstulit et ter papae genuflexit; post, progressus Leonis pedem, dextram et faciem osculatus est, « ridens et jubilans », scribit Paris. Pauca verba rex gallice fecit professus se magnopere gaudere quod vicarium Christi facie ad faciem videret : filium ejus et docilem servum esse : quem papa benigne amplexus est et ei « *gallice* » ut ait Maximiliani legatus, cum amicitia multa et comitate respondit; Deo omnem laudem tribuit de rebus quae tam feliciter agerentur. Papa quem nobis compertum est elocutione sua superbire nunquam tam bene dixerat, si fides est Paridi de Grassis. Tunc cardinales ut papam circumstarent magister caerimoniarum invitavit et processit Antonius Duprat : flexit genua et orationem legit paucis, ait Paulus Jovius, auditam, doctissimam et putidam quam et Paris de Grassis et cancellarii scriba totam nobis tradiderunt (3).

(1) Paris de Grassis. — *Oratores Florentini*, 11 déc. 1515.; Arch. Flor. *Lett., Est.* Resp. 12, f° 455.

(2) Barillon, *Mémoires*, I, 167.

(3) Paris de Grassis. — *Maximiliani legatus*, 15 déc, 1515; Le Glay, Nég. II 85. — *Oratores Florentini*, 12 déc. 1515, Arch. Flor. *Lett. Est* Resp. 12, f° 455;

Dum recitata oratio erat, volebat rex caput detegere quotiescumque verba « obedientiam » significabant; quod papa non permisit. Finita oratione, rex assensum dedit. Ad haec papa latine responsum fecit et dixit sibi fidem regis esse acceptissimam (1). Inde surgens subito Leo Franciscum ex inopinato manu tenuit et turbam transgressus, quae septa obsidebat, in cubiculum suum abduxit. Ibi pontifex supra lectulum tiaram et cappam deposuit. Rex interdum fenestra prospiciebat turbam, basilicam et forum. Accessit papa, brachium ejus tetigit et coeperunt confabulari. Supremum hoc dominum suum Paris de Grassis monuerat ne in publico manum ad barettam attolleret quemadmodum Alexander VI, praesente Carolo VIII : quare papa ad fenestram operto capite stetit. Si fides scribae cancellarii, qui rerum optime certior factus est, habenda est, post varios sermones rex ab improviso papam aggressus ab eo subito petivit ut Pragmaticam in Gallia confirmaret et conservaret. Ipse Duprat in Parlamento coram omnibus affirmavit vere papae regem rem illam temerarie proposuisse et inde parum abfuisse quin omnia concordiae consilia ruerent. Respondit enim papa nunquam fore ut ad id adduceretur ut schismaticam constitutionem servari sineret, sed « *qu'au lieu d'icelle on fit un concordat qui fust semblable* ». Disputatum est horas duas, refert imperatoris legatus; incertum est an praeter Pragmaticam alias res tractaverint : quod secum ipsi quaerebant dubii et anxii cardinales et oratores et quasi in speculis erant. Quidquid id est, jam rex exstabat melior quam papa : effecerat enim audaci industria ut (nedum ipse papae negaret Pragmaticae abolitionem) pontifex contra, petente se, nollet eam confirmare, quam Franciscus ipse prae omnibus aboleri volebat, et sibi sponte concordata proponeret, quae Christianissimus tantum optabat fieri quantum et ipse Leo : sed jam videbatur concordata papae benigne et comiter indulgere (1).

— *Summarium epistolarum*, 11 déc.; M. Sanuto 377, 380; *Grimani* 11 déc.; Paulus Jovius, 15 déc.; M. Sanuto, 372, 391. — Barillon, I, 167.

(1) *Legatus Maximiliani ad imperatorem*, 15 déc.; Le Glay, I, 85. — Paris de Grassis. — Barillon, I, 173.

Hora sexta, papa, cubiculo egressus, regem, cardinales atque oratores dimisit. Veneti, Franciscum in cubicula sua prosecuti, precati sunt ut Brixiam alias mitteret copias. Audierant Bononiam ab imperatore advenisse legatum extraordinarium et cura eos angebat ne quid in Rempublicam moliretur « *A che fine no lo so*, tum scripserunt, *viderano di saperlo* (1) ». Francis autem papa placebat. Fleurange enim qui inter eos conversabatur, dicit Leonem videri « *estre ung bien honneste homme de bien.... et estoit fort craintif et si ne voyoit clair* (2) ». — *Fort craintif!* hanc sane sui opinionem omnibus injecit, dum Bononiae fuit, is quem Aloysia de Sapaudia, cum misericordia quadam, appellabat « *le gentil lieutenant et apôstre de Jésus-Christ* (3). » *Et si ne voyait clair!* Haec verba quoque jure, sed alia significatione ac Fleuranges, Franciscus post primum illud colloquium facere poterat!

III. — Die Mercurii, mensis 10ª, habita sunt maxime colloquia. Primo mane Paris de Grassis papam, deinde regem adiit. Leonem, cui die priori fuerat comperta regis in disputando inopinata dexteritas, magis in horas tenebat desiderium conventum quam citissime conficiendi « non quia de ipso timeret, addit ingenue Paris, sed quia timens erat ne propter tot milia hominum in agro et civitate Bononiensis existentium aliquid mali evenerit civitati et populo » (4). (Revera hujus modi phantasmata raro, illis temporibus, mentem regum agitabant!) Erat necesse saltem ad missam in Sancto Petronio die postera peragendam omnia disponere. Res vero erat quam papa gravissimi momenti existimabat esse, de qua oportebat regem sciscitarentur (ad eum igitur Paris missus est) : num Christianissimo placeret inter sacra confiteri peccata et communionem a papa accipere? (5). Franciscus qui religiosus

(1) Grimani, 11 déc.; M. Sanuto, 372.
(2) Fleuranges, *Historia.*
(3) Aloysia de Sapaudia. *Diarium.*
(4) Paris de Grassis.
(5) Brantome, III, 83

fuisse videtur « *aymant et embrassant fort l'Eglise Catholique... servant fort reveremment sans aucune hypocrisie ni bigoterie* » tamen nec devotus erat nec stultus homo. Parum ei arridebat ista communio. Etsi jam perceperat quantum Leo X a Gregorio VII distaret, minime tamen cupiebat res sacras artibus, ut ita dicam, scenicis miscêre quas modo tam callide repraesentaverat, atque omnia opportune facere ut papa rem Canossae olim actam, manu hostiam tenens, renovaret. Igitur praecise negavit : dixit se recens ad sacram communionem accessisse : ceterum confessurum peccata confessori cui soleret et Francos optimates in locum suum, quod ad communionem attineret, successuros (ab eorum parte multo minus periculosum erat hoc religionis signum) quorum triginta delectis papa promisit se communionem daturum ; ad cetera Franciscus facillimum se interroganti Paridi exhibuit : « num rex vellet papae caudam vestimenti tenens quatuor passus facere? — Non quatuor solum passus, sed totam viam, si vellent ! — Placeretne regi aquam benedictam papae offerre ? — Non regem solum, sed et principes regii generis secum oblaturos ! — Regemne juvaret a papa pacis osculum accipere ? — Id summum regis gaudium fore. » Paris, etsi rem non impetraverat quae majoris momenti erat, tamen tanto lepore illectus ad basilicam properavit ut suggesta exstrueret. Totum mane colloquendo de ecclesiastica illa ordinatione consumpserant (1).

Post prandium exiit cubiculo papa et per gradus quos recens fecerat Bramante ad regem descendebat ut eum rursus visitaret « familiariter », scribitur. Audito papam appropinquare, surrexit Franciscus a mensa velociter et obviam se pontifici per gradus obtulit. Erat vero tam densum illa die sicut et priori, effusum per aedes vulgus ut alter alteri occurrentes congredi non possent : ceterum ridebant cum tam pressi essent, dicit testis quidem, ut hastatos oportuerit accire et papae facere viam. Leo et Franciscus laeti congressi una descenderunt et cubiculum regis confabulantes petierunt. Ibi papa non diu

(1) Paris de Grassis.

mansit, sed non hoc unum habuerunt die illa colloquium : clam et diu sub vespere convenerunt (1).

Rex antea voluit, actus non minus ingenuarum artium studio quam piae devotionis animo ad Sanctum Dominicum peregrinari, ad tumulum insignis monachi, opus illud optimum Nicolaï Pisani cui Nicolaus dell' Arca, annis antea triginta, et Michael Angelus recentius novam formam miraculis artis addiderant (2).

Rursus igitur convenerunt post cenam rex et papa « diu multum » scribit ad Maximilianum minister ejus qui quemadmodum ceteri nuncii ad omnia colloquia intentus erat (3). Interim enim viginti oratores, Veneti, Florentini, Ferrarienses, Mantuani, Senenses, Angli, Germani, Hispani, Lusitani, Hungarici et alii conjecturam sine modo faciebant.

Nec ullam profecto moram Veneti legati adhibebant rem omnem et ab aliis sciscitantes et communicantes cum eis. Instabat enim Decem virorum Concilium ut in dies diligentiores et astutiores essent nec omitterent quidquam ad res prosperas Reipublicae pertinens (4). Grimani igitur regem adivit et interrogavit : qui non dubitavit ei credere se habuisse cum papa colloquium : respondit enim « de bello crucis deliberatum fuisse: Hungariae enim regem, Turcis imminentibus, in auxilium suum Europam advocare : se a papa invitatum fuisse ut spei illius non deesset, sed dixisse crucis bellum absque Venetorum opera non posse suscipi : « *Domine, questo non se puo fare se Venetiani non ci ajuta e bisogna che prima habino il suo* » objecisse Regem ; tum papam (qui paucis diebus antea nollet copias suas ab Verona abducere) ei institisse ut Brixiae obsidium urgeret, subjicientem se de rebus Veronae absolvendis cogitare ; respondisse obsidium illud rem esse suam. Hic Leonem ex se percontatum fuisse quo pacto cum Republica Sancti Marci junctus esset ; « *Era tenuto a defenderla excepto contra la Chiesa* »

(1) *Maximiliani legatus ad imperatorem*, 15 déc. ; Le Glay, II, 85.
(2) Paris de Grassis.
(3) *Maximiliani legatus* ; Le Glay, II. 85.
(4) Arch. Ven. Senato Secreta. Reg. 46, f° 152.

respondisse, quod papae fuisset summae voluptati, cum jam Venetos nefas esset prae se ferre jura quae de Ravenna et Cervia a Sancta Sede occupatis occulte repeterent. Nec ipsi Francisco ingratum accidebat quod monuerat sic Venetos ne mentionem hujus rei apud se inchoarent (1).

Attamen Veneti, verbis papae alacres facti, aditum ad eum et ipsi postularunt : pontifex affirmavit se bona voluntate in Rempublicam esse quam optaret arma adversus Turcas sumere. Grimani, cui mens papae aperta penitus erat, respondit hoc imprimis senatui esse consilium ut res suas reciperet. Leo autem professus est se omnibus votis expetere ut Brixiam oppugnarent et ipsum parvo exercitui suo praecepturum ut Verona decederet; ab imperatore igitur, ut prius a Rege Catholico, deficiebat.

Non Veneti oratores tantummodo trepidare (qui jure optimo erant inquieti) : eorum collegae et adversarii inter se quoque communicabant. Bononiae enim erat, ut ita dicam, Europeanus congressus et ex tempore, sine lege quidem, institutus ad quem omnes maxima diligentia attendebant.

Cum papa legatis Sancti Marci aures suas dabat, rex ceteros oratores ad se admittebat et summo studio consulebat statui Europae componendo. 12ª decembris, oratores Angliae et Hispaniae admisit eisque dixit « se huc advenisse, ut christianissimum principem decet, ad osculandos pedes Sanctissimi Domini ad praestandam obedientiam debitam » (hac verborum formula Papam et amicos ejus ceperat) ; « inter se et reges eorum bella et rixas intercidisse, nunquam vero se alienum futurum a pace cum universis principibus christianis, nec perpetua debere esse bella inter Christianos (2). »

Eadem die, Franciscus cardinalem Senensem admisit; qui rogavit eum ut parvam Senensem rempublicam in fidem clientelamque suam reciperet : respondit rex se in numero optimorum amicorum Senenses ducere (3). Orator Lusitaniae, quem

(1) *Oratores Veneti*, 12 déc.; M. Sanuto, 884.
(2) *Maximiliani legatus ad Imperatorem*, 15 déc.; Le Glay, II, 85.
(3) *Petrus Torelli*, 12 déc. Arch. Mutinae, amb^ri Estensi.

Maximiliani legatus magni faciebat, regem vehementer cohortatus est ut societatem Venetorum renuntiaret; id Christianissimum acturum, si modo regi Lusitaniae amicus esset, cui nempe isti Veneti minime cordi essent : societatem a rege cum Venetis institutam Christianae Reipublicae repugnare; Venetias enim subsidium Mauris, Sarracenis atque Aegyptiis ferre adversus navigationes et cursus maritimos Lusitanorum (tunc enim Veneti exploratori Vasco de Gama invidentes et rebus quas Albuquerque in extremis Orientis plagis feliciter gesserat, occulte apud sultanum Aegypti et regem Fezi negotiationi Lusitanorum insidiabantur). Franciscus respondit minime Christianissimum decere datae fidei deesseet oportere promissa Venetiis efficeret (1). Hanc pariter Venetorum societatem paucis post diebus impugnavit sat vehementer Hispaniae legatus : cui cum pariter suam de pace voluntatem Franciscus significasset et mandasset ei ut plurimam salutem et amicitiam Ferdinando regi referret, orator osculatus manus Christianissimi professus est gaudere se multum quod majestas ejus ad congressum hunc venisset; sperare et se fore ut omnes christiani principes contra Infideles jungerentur : ad hunc vero finem referre ut Veneti cessarent in imperatorem debellare et rex jam eos non tueretur. Rex ambigue respondit. Hic autem sermo ab oratore Florentino qui hostis Venetiarum natura stabat, mox studiose redditus est; ita in locum Lusitanorum ministri minister Imperatoris subierat (2). Odia igitur undique talia ardebant qualia olim res Cameraci et Agnadeli gestas invexerant ; sed majoris erat negotii Franciscum quam Ludovicum XII in discriminibus implicare. Nuncius imperatoris sermonem cum rege non habuit et in consistorio solum comparuit, sed prope papam in ipso ejus cubiculo stabat, cum ille instruebat se ad primum cum Christianissimo colloquium et ceteris studiosius odia exasperabat in Venetos, hostes nunc domini sui infensissimos.

(1) *Maximiliani legatus ad imperatorem*, 15 déc.; Le Glay. II, 85.

(2) *Oratores Florentini*, 14, 15 déc. 1515; Arch. Flor. *Lett. Est.* Resp. 12 470-476.

Veneti autem oratores promissis papae elati regem ubique subsequuntur et rei nullae, refert Austriacus, non intersunt « *inflati tamquam bubones* (1). » Narrat Jovius hos oratores omnibus spectatissimos esse et frequentia clientum circumretitos : Gritti adire non licet, adeo magna est sollicitantium multitudo (2). Nimirum hos regis socios quantum oderant, tantum et timebant : inde eis se venditabant. Ceterum praeter verba quaedam a rege temere effutita, nihil emanavit ex habitis cum pontifice colloquiis. Rumor erat regem obtinuisse ut Pragmaticam papa confirmaret : Franci vero duces rem hanc parum curabant, sed per vias ambulabant dissoluti, quod denuntiat eorum commilito « Le Loyal Serviteur » nec « *s'embarrassaient* » secretis regis et papae (3). Attamen patet Bononiam tum magnopere commotam esse. Post tot colloquia, rex necesse habuit lascivire. Die illa 12[a], ad vesperam, domina Genovefa de San Severino lautissimum in aedibus suis convivium fecit : ad quod ministros regis convocavit, cardinales, nobiles, Bononienses matronas, summum magistrum Boisy, cardinales Cornaro, Estensem, Cibo, donna Pepoli, donna del Correggio, donna Gambara, etc... Finitis epulis, rex *personatus* apparuit cum multis optimatibus personas quae dicuntur « *lupi* » ferentibus, modo egressus a secundo cum papa colloquio : saltaverunt ad primam horam matutinam et post diem rerum tam diversarum plenam, albente cœlo, cubile inierunt (4).

IV. — Postera die 13[a], visi sunt relligioni et sacris solemnitatibus toti dediti. Paris de Grassis, artes legatorum oblitus et optimatum Francorum oblectamenta, totam diem 12[am] in apparanda admirabili basilica ad sacra diei posterioris solemnia consumpserat.

Ea prope erat illo tempore basilica qualis nunc existit. Jam decorabant januas opera illa viris ingenuis admiranda quae

(1) *Maximiliani legatus* jam citatus.
(2) Paulus Jovius, 15 déc. ; M. Sanuto, 391.
(3) « Le Loyal Serviteur ».
(4) *Miscomino ad ducem Ferrariae*, 13 déc. Arch. Mutinense, Carteggio amb[r] Estensi.

ducentis annis antea Jacobus della Quercia exsculpserat.

13ª meridie papa cubiculo, cum rex non ascendisset, solus descendit. Rex excusatione usus dixit se nondum finem prandendi fecisse. Subrisit papa, nam Franciscus hoc modo sibi callide omnem facultatem ademerat sacram communionem sumendi (1).

Attamen rex occurrit Leoni et ambo una iter ad basilicam direxerunt (2). Quam cum pompa ingressa est, jam impleverat immensa multitudo. Regem inter duos cardinales medium incedentem subsequebantur Duprat et barones aureis vestibus induti. Missam papa confecit cultu pontificali exornatus. Usque, ab altaris gradibus ad cathedram papae, rex caudam stolae ejus tenere volebat. Papa vero ad Franciscum conversus rogavit ut eam de manibus emitteret. Singulari urbanitate respondit princeps « se vicario Dei nostri J. C. libenter servire etiam in minoribus » ; quod necessarium quidem ei sane videbatur ut in rebus majoris momenti officia papae sibi provideret. Ceterum Christianissimus habitu religiosissimo constitit : egregie a papa osculum pacis accepit et ei reddidit : sed cum ab eo papa sciscitatus est num ad sacram communionem vellet accedere, rex iterum renuit. Contra optimates ad hunc honorem adhibiti tali impetu accesserunt ut pedem papa retulerit ; quadraginta ferme viris oportuit Eucharistiam daret.

Hic res inexpectata accidit : Francus baro quidam, qui in media multitudine procul stabat, exclamavit gallice se velle papae peccata sua publice confiteri cum non potuisset e manu ejus corpus Christi accipere; sed cum ejus aditu quoque prohiberetur, se reum clamitare « quod contra papam Julium quotiens potuisset etiam malo animo hostiliter praeliatus esset et ejus censuras non curasset. » Hac confessione cum omnes valde commoverentur, non sivit rex animos ita pertur-

(1) Paris de Grassis.

(2) De illa caerimonia cf. *Oratores Mantuani ad marchionem Mantuae*, 13 déc. ; Arch. Gonzaga, Mantuae. Ambri in Bologna. *Miscomino ad ducem Ferrariae*, 13 déc.; Arch. Mutinense, jam cit. — Paulus Jovius, 15 déc.; Sanuto, 391 — *Oratores florentini*, 13 déc.; *Lett. Est*, resp. 12. 472. — Paris de Grassis. — Barillon, I, 174. — Fleuranges, *Histoire*.

bari : qui salutationes tolerabat, non deditiones. His angustiis perfecte expeditus est et confessionem potuit instar criminis in papam Julium retorquere. Ad populum verba fecit, vultu in eamdem pœnitentiam composito, se quoque adversus Julium papam certavisse et petere ut ab hoc scelere absolveretur. Sed cum Leo jam manum expandebat eum absoluturus : « Pater sancte, ait magna voce, ne mireris si omnes isti sunt inimici papæ Julii, quia etiam ipse fuit maximus inimicus noster et non cognovimus nostro seculo hostem terribiliorem in bellis quam papam Julium *qui in veritate fuit prudentissimus capitaneus et melius fuisset imperator exercitus quam papa Romanus* ». Uno igitur et eodem tempore se ipse absolvebat, suos bono animo esse jubebat, Leonem cogebat silentio vehementem querimoniam comprobare et pontifici describebat quam agendirationem deberet omnis « *verus papa Romanus* ». Leo non visus est rei hujus vim intellegere, nam « *il donna pardon général à tous les vrais repentans qui oyroient cette messe* » et promisit se eis optimos sacerdotes ad confessionem daturum.

Papae, cum communionem consummaverat, rex aquam porrexit et pelvim per vices tenuerunt dux de Vindocino, comes stabuli de Borbone et dux de Longavilla. Haec parva caerimonia maxime animos percussit, praeter quam legati Florentini nil insigne indicant in missa ; in hac quoque moratur Paris de Grassis, et Fleuranges scribit : « *Le Pape chanta la messe en la plus grande pompe et triomphe que jamais Pape la chanta, car M. de Lorraine et tous les premiers du royaume de France la servoient.* » Post missam pompa cum Sancto Sacramento habita est ; deinde papa plenariam indulgentiam concessit. Hora quarta finem habuerunt caerimoniae.

Rex juxta papam exiit, populum Bononiensem valde admiratus, homines virili et fortissimo vultu, « sed mulieres contra formosas non esse » censuit cum risu (hunc vere Gallum principem nunquam res feminea praeteribat). In primo palatii tabulato rex papae gratias de caerimoniis egit et valedixit (1).

(1) Paris de Grassis.

Sed Maximiliani minister scribi eos ambe vespere convenisse et occulte fuisse collocutos (1).

V. — Ad cathedralem Sancti Petri rex 12 ivit ubi cardinalis de Grassis, Bononiensis episcopus, osculum ei pacis dedit et missam confecit cujus opportunitatem multi infitiati sunt. Paris ille scribit fuisse jucundius si frater minus regi morem gessisset « *quia*, ait, *Cardinalis non mihi videtur esse tam minor Rege* (2) ». Franciscus autem in Santo Petro sat diu cum legato Hispano sermonem habuit (3) : inde ad palatium redivit in quo ea ipsa hora secretum habebatur consistorium de cardinali creando.

Etenim rex a Papa postulaverat inter alia beneficia de quibus infra sermo erit, ut purpuram tribus Francis praesulibus donaret, scilicet Adriano de Boisy, Cosediarensi episcopo, summi magistri fratri; Ludovico de Borbone, Verdunensi episcopo ducis Vindocini fratri; et Joanni de Vaudemont, Tullensi episcopo ducis Lotharingiae fratri. Sed, existimante papa petitionem immodicam esse, rex qui in minoribus rebus facillime manus dabat, candidatos deseruit suos. Attamen papa, ut remuneraretur officia quae ad pacem componendam Boisy contulisset et hanc potentem familiam sibi conciliaret, probaverat Cosediarensem episcopum ad purpuram promoveri, esse quod aegre tulerunt alii.

Paridi de Grassis curae fuit caerimonias consistorii novum cardinalem edocere. Qui prius rem olim a Julio papa decretam in memoriam Leonis X revocavit : Francos enim praesules cum cardinales fierent oratu Regis Christianissimi, existimare se in solum regem suum gratia, fidelitate, inde obedientia obstringi, nullo habito respectu ad papam qui vere eos creavisset : statuisse igitur Julium ut Franci praesules ad purpuram promoti formulam jurisjurandi papae recitarent et sacramentum etiam clarissima voce dicerent. Ipse Paris de Grassis librum

(1) *Legatus Maximiliani*, 15 déc.; Le Glay, II, 85.
(2) Paris de Grassis.
(3) *Oratores Florentini*, 14, 16 déc. *Lettere Est.*, resp. 12, 470-476.

in consistorium tulit et curavit ut novus ille Ecclesiae princeps coram testibus jusjurandum recitaret. Non haerebimus in minutissimis consistorii caerimoniis quae Paris descripsit. Cardinales post consistorium Adrianum de Boisy in cubiculum reduxerunt et osculum ei « fraternitatis » dictum dederunt. Stupuerunt omnes cum novus cardinalis vix cubiculum ingressus cantilenam Francorum cœpit canere qua, refert chronographus, significabat se velle bibere « *quum vicisset et expugnasset quod in animo haberet* ». Forsitan fuerit industria ad pellendum memoria jusjurandum illud fidelitatis. Hilarus pontifex inter officiales pocula distribuit et biberunt omnes (1).

Ceterum dies illa commissationum dies fuit in urbe quam dicunt Itali « *Bologna la Grassa* ». Vespere, rex et papa familiariter cenaverunt : ad mensam alteram consederunt duces de Lotharingia, de Vindocino, de Borbone, cum cardinalibus Medicis, Bibbiena et Cibo (2). Tum ambo inter se de rebus minoribus nonnullis decreverunt. Regem papa rogavit ut Prosperum Colonna a carcere emitteret; videtur rex fidem suam de Colonna liberando dedisse ; nam ejus rei, paucis post diebus, Pontifex eum jubebat memorem esse (3). Hic quoque accidit, si fidem habere licet Austriaco ministro et Venetis legatis, eventum quod nullius momenti non fuit, saltem insolentissimum visum est (quod Paris die postera evenisse refert). Novello in *Vita Leoni X* manuscripta, istius rei minima narrat tempora et ad eam multo posterius in litteris aperte alludit legatus Aleandro. Papa regi Franciae dono dedit pretiosissimam illam crucem quam Florentiae, ut novimus, exornari jusserat, in qua inter margaritas et pretiosos lapides inclusa erat magna verae crucis particula : quam porrigens papa regi hortatus est eum ut bellum crucis susciperet. Franciscum autem qui imparatus inermisque erat, crucem osculatus, respondit id se polliceri modo filius sibi nasceretur et sic de regni hereditate securus fieret. « *Attamen*, subdit triste chronicographus, *post*

(1) Paris de Grassis, XII, 24, f° 260.
(2) *Legatus Maximiliani*, jam cit.
(3) Barillon, I. 176.

non solum uno, verum tribus liberis susceptis, de expeditione in Turcas nihil, ut vidimus, egit » (1).

Etenim, anno 1524, Aleandro, nuncius in Gallia, Bononiensis jurisjurandi regem memorem jubebat esse et rex respondebat se revera id papae spopondisse (2). Papa ipse ceterum hoc scripsit, dum Bononiae fuit, cardinali Wolsey et Bohemiae nuncio, Lusitaniae regi et aliis multis (3); sed haeremus dubii an parum credulus papa, qualis fuit Leo X, deceptus vel puncto temporis fuerit promissione illa Cruciadis quam a xv[i] seculi initio non pauciores quam triginta reges christiani promiserant et centies et centies exuerant. Illud a Nicopoli ea mente principes pollicebantur ut Sanctae Sedis consilia verterent quo vellent vel inde fructus magnos et opes immensas (decimas scilicet) susciperent. Tum vero rex prudentiam ostendit quod utilissimos illos Turcas, qui ejus socii futuri erant in utramque rem adhiberet.

Die sabbati, mensis 15[a], plena fuit rumorum Bononia : audierunt pactum esse regi cum Helvetiis foedus, praeterea ferebant (falso) Brixiam a Venetis oppugnatam esse. Rex totum mane diei illius quam sibi ut proficisceretur constituerat in tangendis strumosis consumpsit : gaudebat enim, ut apparet, etiam extra Galliam, rex ille Aevi Renascentis admirabili praedecessorum dono : « *Ledict jour,* refert secretarius cancellarii, *avant son partement il guarit les malades des escrouelles en la chapelle du Palais où estoit le Roy* » — « Rex fecerat publico banimento proclamari se curaturum hujusmodi infirmos et multos tetigit (4) » . *Et entre aultres,* addit Barillon, *guarit un evesque de Pollogne qui venoit expressement devers le roy et avoit apporté lettres recommandatoires du roy de Pollogne* (5) » .

(1) Novellus, *Vita Leonis X,* f° 11. Bibliotheca Barberini, Manuscritti, XXII, 64.

(2) *Aleandro ad Clementem Papam VII,* 14 febr. 1524. Bibl. Marciana Venetiis, Manuscritti Cl, XIV, Cod. L. Epistola citata a Paquier. *La mission d'Alexandre en France* 1897, f° 13; *Oratores Veneti,* 14, 15 déc.; Sanuto, 395.

(3) *Leo X ad cardinalem Wolsey.* — *Leonis X Brevia.* Arch. Vat. arm. LIV, t. V. Ibid. ad regem Lusitaniae, etc. Bembo, *Lettera* XVII, f° 262.

(4) Paris de Grassis.

(5) Barillon, I, 174. — *Legatus Maximiliani,* jam cit. — Paris de Grassis.

Peracta opera delicatissima, rex prandit et ad superiora ascendit, papae vale dicturus. Quocum hora dimidia collocutus est et in favorem supremum petivit ut sibi Laocoontis statuam donaret, quod quidem rex, in illo XVI° seculo multo pluris faceret quam verae crucis particulam (hoc signum fuerat nuper in aedibus Titi Romae inventum). Leo vero qui, ex sententia recentioris clarissimi historiarum scriptoris « *libentius apostoli caput dedisset* », promisit quidem, sed cum mente promissum non faciendi (1). Jussit enim Baccio Bandinelli signi imitationem facere quae ne missa quidem est Parisios : servata est, si recta memoria utimur, Florentiae in pinacotheca « *degli Uffizi* » dicta. Papam Franciscus quoque rogavit in extremis verbis ut duci Urbini agnosceret, sed Leo inexorabilis visus est neque rex institit ob causas quas edisserendi postea locus erit (2). Papae igitur Franciscus valedixit et velociter per gradus descendit : ibi expectabant eum duo et viginti cardinales inter quos Cosediarensis cardinalis erat. Eodem ordine proficiscentem regem comitati sunt atque olim ingredientem. Ad portam *San Felice* stetit decanus et ceteri omnes cardinales praeterierunt eum. Rex, nudus capite, porrexit puero pileum, manicas et baculum dedit, et coepit illos omnes osculari, exorsus ab Ostiensi episcopo. Adrianum autem de Boisy osculans, dixit gallice subridens « *eum nunc cum lupis esse* » ; non addidit tamen oportere cum eis ulularet. Quod risum omnibus qui aderant commovit (3).

Tum rex nonnullis passibus a cardinalibus discessit et rursus ad eos conversus, suavissime valedixit, conscendit equum et abiit. Paridi de Grassis regale donum dederat leniter arridens : munera quoque cardinalibus, officialibus et Helvetiis custodibus largitus fuerat.

Paridi de Grassis vale dicto, rex denique abiit in equo medius inter legatos Fieschi et Medicis qui Regium debe-

(1) Alberi, *Relazioni*. Rel. di 1523, série II, vol. 3e, 114; Villari, Machiavelli, III, 17.

(2) Leoni, *Vita di Fr. Marco d'Urbino*, lib. II, f° 170.

(3) Paris de Grassis.

bant eum comitari (1). Inde Franciscus Mediolanum petivit qua in urbe sub fine decembris redux erat.

VI A testibus conventus et ab immensa plebe quae Bononiae a 10ª ad 15ᵃᵐ decembris diem fuerat coacervata, Franciscus ille venustus sibi nomen augustissimi, suavissimi et urbanissimi regis auferebat. Paris, licet ab initio mentem tam infensam gereret, victus est : illexit eum, quamvis reluctaretur, rex ille hilaris, semper benignus et officiosus. Jam comperta nobis Pauli Jovii admiratio quam omnes oratores externi, socii aut adversarii, conceperunt et tanto ardore enuntiarunt. Perstabat papa rege admodum et colloquiis cum illo habitis contentus aut saltem, ait Vettori, talem animum mentiebatur (2). Revera admiratione effusus est in epistolis quas Bononia non solum ad Aloysiam de Sapaudia, sed etiam ad Lusitaniae regem misit. Rectrici reginae dum scribit, laudibus dithyrambicis extollit principem hunc « tanta potentia preditum, omnibus animi corporisque dotibus perornatum » : regi vero Lusitaniae dicit : « Secretioribus vero in sermonibus collocutionibusque nostris, cum illius animum atque mentem diligentius pertentarem, studia cogitationesque ejus omnes ad rem christianam tuendam, juvandam, amplificandam mirifice conversas cognovi » (3). Romam redux papa Francisco auream rosam misit (4). Regi quoque in Cameris Raphaelis locus datus est : quem clarissimus ille artifex splendidis vestimentis indutum pinxit qualis Bononiae rex fuerat et ad tantam similitudinem adduxit ut Raphaelem ipsum dicas Bononiam Leonem secutum fuisse, quemadmodum Leonardus da Vinci, Christianissimum (5). Quidquid est, publicus pictor admirationem interpretabatur quam sui ubique rex lepidissimus ac gratiosissimus concitaverat.

Franci ipsi papam multum probaverunt, non tamen sine

(1) Paris de Grassis; *Legatus Maximiliani* jam cit.

(2) Paris de Grassis; Paulus Jovius, 15 déc. jam cit.; Vettori, *Sommario.*

(3) *Leo X ad Aloysiam de Sapaudia.* 3 *Idarum dec., ad Regem Lusitaniae* 19 *kal. jan.;* Bembo. *Ep.* lib. XI, *Lett.* XII, XVII, fº 258, 262.

(4) Paris de Grassis, XII, 23, 265.

(5) Gruyer, *Les Chambres de Raphaël*, fº 294.

aliquo fastidio quod a verbis emergit Aloysiae de Sapaudia et Fleurange jam prolatis. Proferebant, ait testis, imprecationes, maledictiones, impia verba contra Julium papam inimicum suum, sed Leonem venerabantur (1). Famosi illi Franci quorum inquietum animum et « *furia* » papae custodes et populus Bononiensis tantum metuebant, bonam sui apud omnes opinionem concitaverant. In tanto autem tumultu ingressi fuerant ut regis inimici (fatetur ex eis quidam) speravissent aliquam cruentam seditionem fore. Fortasse timor erat ne pugnam consenserent propter recentem Helveticae custodiae invidiam. Franci a primo tempore ad suspiciones proni visi erant : erant cum rege quatuor milia hominum, nongenti vero lancearii per vicos proximos dispersi : ceteri nocturnos ignes in foro excitabant « et suspicabant nescio quid », scribit testis (2). Gesta vero sunt omnia « bene », non ullus tumultus fuit. « Versabantur, ait idem testis, Galli in civitate longe benignius et humanius quam solent. » Immensa tamen aderat multitudo et miratur Paris de Grassis tam multos homines nutritos in eodem loco fuisse. Asserit vero Paulus Jovius nullam aliam urbem meliorem quam Bononiam conventui hujusmodi fuisse. « Urbs ipsa, inquit, rerum omnium copiis refertissima utrique aulae facile successit, cum Galli proceres cum sacerdotibus conviviorum luxu ornatusque elegantia dispari varietate contenderent » (3). Multa fuerant a cardinalibus expensa quod nemo volebat vicino suo videri inferior. Cardinalis de Ferraria praeviderat principes Ecclesiae sic inter se magnificentia aemulaturos. Imo ob eam rem timores antea ditissimus ille cardinalis conceperat (4). Universe igitur feriae illae cunctae fuerant acceptissimae.

Abeunte rege, Francorum baronum et optimatum multi Bononiae remanserunt (5), peccata sua confessuri. Sublata enim difficultate quam indicavit Antonius Duprat, absolutio-

(1) *Legatus Maximiliani*, jam cit.
(2) *Legatus Maximiliani*, jam cit.
(3) Paulus Jovius, *Historia Leonis X*.
(4) Minutario Chronologico, 1515. Arch. Mutinae. Cancellaria.
(5) Paris de Grassis.

nem scilicet trans Alpes Francis denegari quod haberentur schismatici (1), reconciliationis viis alacriter usi sunt quas offerebat papa. Hic confessionis appetitus, quem plures testantur, novum argumentum est ad ea confirmanda quae supra diximus de inquietis in Gallia animis propter ecclesiastica negotia. Constituerat papa confessores plures quam quinquaginta qui Francorum confessiones audierunt (2). Ex eis praeterea nonnulli etiam papam Florentiam secuti sunt : alii vero (quos inter dux e Vendocino) Venetias petierunt : quos comitati sunt cives Serenissimae Reipublicae permulti qui (ita Paulus Jovius) Bononiam mere visendi causa venerant (3).

Papa usque ad 19[am] Bononiae conversatus est. Die 16[a] dominica, missa major in actionem gratiarum a cardinali de Grassis in Sancto Petronio celebrata est : mox videbimus quam parum tantas a papa actas gratias res ipsa comprobaverit. Ceterum frigoris rigor papam et multos cardinales a missa prohibuit. 19[a], Bononia profectus est papa et 22[a] erat Florentiae ; cardinales San Severino, d'Esta, Cornaro et Cibo Mediolanum discesserant (4) ; plerique aulici papae 26[a] decembris dimissi. Eadem die, frater Aegidius, unus ex his quibus papa fidem maxime habebat, in Germaniam profectus erat ad Maximilianum missus ut Imperatorem cum Venetis conciliaret, quod a pontifice Francisco promissum erat (5). Illis quoque temporibus, papa Helvetiis, regi Lusitaniae et imperatori nuntiavit se societatem cum Francorum rege conjunxisse : tandem 30[a] Decembris, diserte monebat episcopum Verulanensem, in Germania nuncium, ut de re politica consiliis Regis Christianissimi se accommodaret (6). De re igitur *politica* Leo promissa a se praestabat. Restabat vero ut absolverent rex et papa rerum *ecclesiasticarum* compositionem quam mere inchoaverant. Bononiensis enim congressus non totus tunc terminatus erat.

(1) *Oratio cancellarii Duprat*, jam cit. Arch. Nationales, France J 642.
(2) PARIS DE GRASSIS.
(3) Arch. Ven. Senato Secreta.
(4) GIORGI, 17, 18 déc. ; SANUTO, 406.
(5) GIORGI, 23 déc., SANUTO. 417.
(6) *Leo X ad Helvetios, ad regem Lusitaniae, ad imperatorem*, BEMBO, lib. XI, Ep. XI, XIII, XIV, XVII, f° 260, 262.

CAPUT V

DE CONCORDATORUM PACTIONE

I. — Dum Florentiam iter faciebat papa, duo cardinales Bononiae commorabantur, Laurentius Pucci de' Santi Quattro et Petrus d'Accolti d'Ancona qui debebant cum cancellario Duprat « achever d'accorder les articles du concordat (1). »

Quatenus autem debebant illi « achever d'accorder les articles » et quibus de rebus inter se rex et papa consentiebant? Primo rexne vere, in habitis cum Pontifice colloquiis, abrogandam Pragmaticam probaverat? Negabat, uno post anno, cancellarius verbis captiosis usus : contendebat enim Pragmaticam minime juxta concordata condemnandam et tollendam, imo etiam regem omnimodo operam dedisse ut electiones tueretur (2). Quae affirmatio in suspicionem veniet non modo recordantibus quo animo fuerint, anno 1515, Christianissimus et cancellarius, sed et considerantibus qua inclementia rex postea jus nominandi sibi, cum forte controversia exsistebat, vindicaverit et qua constantia, paucis post annis, cum Sancta Sede de abrogandis electionibus egerit quas ipsa Concordata in abbatiis privilegiariis confirmaverant (3). Ceterum Curia Romana dolis regis non est decepta : Laurentius enim Pucci, unus ex his qui concordata negotiati sunt, in « Informatione » ad Ludovicum de Canossa nuncium, mense maio, anno 1516 directa, ea invocabat quae expresse olim a rege promissa essent. Rex et minister ejus » expressam abrogationem Prag-

(1) Barillon, I, 175.
(2) *Oratio cancellarii Duprat*, jam cit.
(3) Louis Madelin. *Les premières applications du Concordat de* 1516 d'après les dossiers du château Saint-Ange. Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole française de Rome, 1897. T. XVII.

matice » assensu suo comprobaverunt. Papa, ait, non sinet regem effugere. Affert cardinalis confirmandae asseverationis causa, privatam rem e memoria petitam. Concordiae concordatae sunt « *loco Pragmatice* »... « *Et haec fuit mens magni cancellarii ac nostra quibus papa mandavit negocium cum praedicto cancellario expediri* » Haec etiam subdit : « Et si aliquid capitulum in ea (Pragmatica) comprehensum esset quod concerneret honorem et utilitatem ipsius regis, aut necessarium ad dictum regnum videretur, Sanctitas Sua parata esse concedere et privilegio sicut conceduntur ea quae sunt annotata in capitulis cum praedicto magno cancellario concordatis » ; non confirmata sunt exinde nec probata Bituricensia constituta (1). Praetera, 13ª augusti anno 1516 agnovit rex ipse se abrogationem probasse, et assensus est iterum reprobandae « *certaine constitution editée dans la réunion de Bourges* » et promisit « *de faire en sorte que tout le clergé de l'Église Gallicane et tous les parlemens du royaume acceptant ladite abolition* », quae litterae a rege subscriptae (2) et ejus sigillo obsignatae arguunt cancellarii Duprat mendacium qui, paucis postea mensibus, profitebatur regem nunquam abrogationi manus dedisse (3). Licet igitur Bononiae fama vulgavisset confirmatam esse a papa Pragmaticam (4), constat potius Franciscum ab ea plus minusve expresse descivisse. Mense enim octobri anni 1515, jam intellexerat oportere in locum Pragmaticae succederent Concordata « *que au lieu d'icelle*, scribebat rex ad ad legatum suum qui Romae erat, *on fist quelque concordat que fust prouffitable pour l'Eglise Gallicane* (5) ». Fixa igitur admodum regi erat agendi ratio neque abrogationem rex concessit aut deficiente animo aut quod eam in re praesenti

(1) « *Informatio* » episcopo Tricaricensi S. D. N. Nuntio, ab cardinale Pucci missa. Arch. Flor., M[ti] Torrigiani. B. II, fasc. IV. (Guasti edidit tantummodo parva excerpta hujus informationis quae nobis magni momenti esse videtur).

(2) *Pergamenum sigillo Francisci Regis munitum*, 13 aug. 1516. Arch. Flor.; M. Torrigiani, Pergamena, 98.

(3) *Oratio cancellarii*, jam cit.

(4) « Il papa a conferma al Re la Pragmaticha di Franza ». *Oratores Veneti*, 14, 15 déc.; Sanuto, 396.

(5) Barillon, I, 141.

opus esse existimaverit. Cum Franciscus in primo colloquio a papa petiit ut Pragmaticam confirmaret, non fuit nisi dolus ille quem multi adhibent ut resistant adversarii et contraria proponant quae penitus et ipsi fieri cupiunt. Cum autem a papa jactabat fuisse concordata proposita et per cancellarium asseverabat se abrogandae Pragmaticae et tollendis electionibus restitisse, cogitabat tantummodo lenius cum eis agere qui vel in Parlamento vel in qualibet regione Galliae Pragmaticam fovebant.

Videntur rex et papa, postquam de tollendis Bituricensibus constitutis consenserunt, praecipuum concordatorum articulum, id est *nominandos a rege praesules* pro certo constituisse. Hac de re Guicciardini expressa scripsit : papam et regem convenisse Christianissimum nominationem beneficiorum habiturum esse, quae prius ad collegia et capitula Ecclesiarum pertinerent (1).

Ne diutius morer in negotiis ecclesiasticis quae videntur Leo X et Franciscus I inter se confecisse, addo regem non multum postea contendisse se eo papam adduxisse ut regioni Mediolanensi fore concordata similia polliceretur. Sed negabat expresse Curia Romana rem hujusmodi promissam fuisse unquam. Haec enim Julius de Medicis in epistola ad cardinalem Bibbiena (qui tunc legatus erat in Gallia) « *La promessa che dicono el Papa fece loro in Bologna la quale non e vera ne verisimile* » et insuper querebatur tot jam utilitates ad rem ecclesiasticam pertinentes regem a papa *extorsisse*.

Disputationem cardinales legati et cancellarius Duprat non diutius quam paucas hebdomadas produxerunt. Etenim cardinalis de' Santi Quattro, 2ª februarii, missam in Sancta Maria Cerula Florentiae agebat, quam in urbem videtur ad papam circa ultimos januarii dies advenisse (3) : eodem quoque tem-

(1) Guicciardini, *Storia d'Italia*, lib. XII, ch. vi. — *Or. Veneti*, 14, 15 déc. ; M. Sanuto, 396.

(2) *Julius de Medicis ad cardinalem de Bibbiena*, 11 nov. 1518. Manoscritti Torrigiani, éd. Guasti, pp. 311 - 313.

(3) Giorgi, 8, 9 febr. 1516 ; M. Sanuto, 509.

pore cancellarium rediisse ad regem Mediolanum novimus (1). Perierunt omnes chartae colloquiorum inter tres viros illos rei gerendae commissos habitorum : neque etiam talia unquam exstitisse documenta compertum est, quibus aegre caremus.

Tres enim illi erant rerum politicarum viri peritissimi et, ut aetatis illius vocabulo utamur, « grans disputeurs ». Jam a nobis productus est in medium Antonius Duprat, legum eruditus, defensor astutus et rerum publicarum solertissimus. Laurentius Pucci fuerat, Julio regnante, datarius, inter familiarissimos Leonis consiliarios erat, qui, ait hujus cardinalium annalista, ministro illo utebatur, sicut et postea Clemens VII « in causis arduissimis et dificillimis (2) .» In conclavi Adriani designaverunt eum suffragia quatuordecim, sed paulo post accusatus est quod familiam de Medicis per fidem fefellisset (forsan in Concordatis concludendis) : quo crimine, regnante Clemente VII, purgatus est, vir animi excelsi, ait vitae ejus conditor, acerrimi ingenii et judicii fidelis. Petro vero d'Accolti, cardinali tituli Sancti Eusebii et Anconitano episcopo meliorem neminem contra Duprat opponere poterant. Qui praesul, cliens Julii papae, unc unum et sexaginta annos natus, singulari exercitatione in disputationibus canonici juris gaudebat. Ille concilii Lateranensis deliberationibus absentis papae vicarius praefuerat : postea sciscitabuntur ab eo et a Pucci ut judicium de re Lutheriana faciant. Sed in primis de jure canonico dignus erat qui disputaret et cum Antonio Duprat committeretur, nam fuerat annos triginta inter eruditissimos Pisanae universitatis doctores ac magistros. Clarissima igitur Italiae latina Universitas unum ex suis componebat cum Duprat, optimo illo alumno maximae Galliarum latinae Universitatis. Jam oportuerat, si fides habetur cancellario, cardinalis Anconitanus « *qui,* ait Duprat, *est estimé le plus sçavant et le plus lettré du collège des Cardinaux* » cum Francisco disputaret, cum nempe de rebus canonicis Leo papa satis sibi non confideret. Contenderat cardinalis et regi demonstraverat Christianissimum, servata Pragmatica,

(1) BARILLON, I, 176.
(2) CARDELLA. *Vite de cardinali dei* LAURENTIO PUCCI, *cardinali di Santi Quattro.*

fieri « schismatique et membre séparé de l'Église (1) ».

De *jurisdictionibus* maxime videtur inter legatos et cancellarium fuisse contentio : etenim videbantur omnia negotia de nominandis beneficiariis esse absoluta : de jurisdictione nunc Sacrum Collegium et papa moram fecerunt. Ceterum cardinales nihil perfecerunt : cardinalis enim Spina, qui concordata anno 1802 negotiatus est, contendit duobus cardinalibus anni 1515 munus fuisse conditionale tantum et ad tempus mandatum; cui aspere Talleyrand reclamavit similitudinem aetatum nec fortunarum existere (2).

II — Tum concordata Parisios et Romam ad consilia papae et regis delata sunt et in adversarios utrinque inciderunt. Quam rem parum usque nunc notitiae adeptam indicant et explicant Duprat (in sermonibus anni 1517 conscriptis) et cardinalis Pucci (in litteris mense maio 1516 missis).

Rex, ait cancellarius, Italia ad Aloysiam de Sapaudia rectricem concordata misit ad « *soi informer aux grans sçavans, experimentés, et de bonne conscience si icelui concordat estoit utile et proufflitable pour le bien du Roy et du royaume et de l'Eglise* ». Respondit Aloysia hanc eorum opinionem fuisse quibus exhibuisset concordata « *pour le repos des consciences et salut des âmes il estoit très utile, requis et necessaire* ». Utilissima et optima illa esse existimavit praeses parlamenti Burdigalensis in conventu cui interfuerunt archiepiscopus Bituricensis, Parisiensis ac Silvanectensis episcopi et praeses parlamenti Olivier « *lesquels trouvèrent bon en ostant quelques points que le Pape y avoit faict adjouster* ». Unus tamen ex magistratibus qui alteri consilio, rege reduce, habito adfuerunt, praeses Nicolai, illis assentiri noluit in praesens et « *demanda du temps pour y penser* ». Tum advocatus Rogerius Barme tota concordata recitavit : rex iterum adstantium sententias sciscitatus est et causas exposuit

(1) Oratio cancellarii jam cit.

(2) *Bernier ad Talleyrand*, 20 januarii 1801. *Talleyrand ad Bernier*, 21 januarii 1801; C[te] Boulay de la Meurthe. *Négociations du Concordat* (de 1802). t. III, p. 295, 296.

« *qui l'avoit meu de faire iceluy concordat* » ; se quoque promisit, si aliud quidquam « *expedient* » vellent in remedium priorum calamitatum proponere, id diligenter inspecturum. Tandem, juxta cancellarium, cum Parlamentum nihil alterutram in partem responderet, rex « *prist leur taciturnité pour consentement* (1). Videntur haec omnia anno 1516, verno tempore, acta esse.

Sacrum Collegium ipsum, tempestate illa, in consistorium coactum, invitatum est ut de concordatis decerneret. Quae vehementer impugnavit. Volebant cardinales, scribit ad Ludovicum de Canossa cardinalis Pucci, magis commodis Ecclesiae consuli in conficiendis negotiis quae ad *jurisdictionem* spectarent : volebant quoque vetari judices seculares interesse *fructibus utilibus* sequestrandis et vetari etiam de *causa* ecclesiarum *possessoria* cognoscere. Si non, « melius erat », affirmaverunt quidam cardinales, « pro honore Sanctitatis Suae et Sedis Apostolice quod concordia ipsa non firmaretur, sed potius res remaneret eo modo quo hactenus permansit (2) ».

Ipse Duprat confirmat cardinales voluisse, cum concordata nimis ad Galliae commoda conducere existimarent, « *tout changer devant derrière ainsi que peuvent temoigner les ambassadeurs du Roy et ceux qui ont faict la poursuite* (3). »

Itaque, quod ab utraque parte sic resistebatur, longae factae sunt negotiationes, quas ordine expromere hic non decet. Rogerius Barme, in Parisiensi parlamento regis advocatus et Antonii Duprat optimus satelles, Romam missus est cum auctoritatis litteris « *pour conduire a fin les differens qui restent relatifs à la Pragmatique Sanction* (4) ». Juxta *le Bourgeois de Paris* rex erat adhuc Lugduni, Italia redux, cum ad hunc finem vocavit novum legatum et eum cum auctoritate sua dimisit : « *Il l'envoya à Rome devers le Pape Léon touchant la Pragmatique en ensuyvant le traicté et appointement faict entre le Pape et*

(1) *Oratio cancellarii*, jam cit.
(2) *Informatio Laurentii Pucci*, jam cit.
(3) *Oratio cancellarii Duprat*, jam cit. — Barillon, I.
(4) *Litterae creditoriae Francisci regis pro Rogerio Barme*, Turonibus 13 apr. 1516. Arch. Flor., M[ti] Torrigiani, Pergamena, n° 97. — Barillon, I, 246, 247.

le Roy à Boulongne la Grace au moys de decembre de devant (1). »

Haec negotiatio per menses octo, ab aprili ad decembrem, continuata est. Videtur Rogerius Barme difficilem suam legationem diligentissime confecisse (2); judicavit papa eum esse « *bono et valenthomo* (3) » Iter non semel Parisiis Romam et rursus Roma Parisios fecit. Ex litteris mense septembri et novembri 1516 ad nuncium qui in Gallia erat a cardinali de Medicis scriptis bis saltem hanc viam suscepisse eum novimus (4).

Exitus negotiationis varia opinione aestimatus : secretarius enim cancellarii refert concordata extremum papae utiliora exstitisse quam illa quae Bononiae composita fuissent (5) : at Julius de Medicis 11ª novembris, anno 1518, ad cardinalem Bibbiena scribit de hoc Rogerii Barme itinere : « *et al hora si mutò et variò molte cose che si erano tractate et ferme a Bologna* », sed cum papae damno (6). Nobis vero haud facile est judicium inter eos facere, cum omnia litis illius perierint documenta.

Quidquid id est, initio decembris, anno 1516, cum viderentur partes inter se consentire, statuit papa Concordata concilio Lateranensi confirmanda deferre et dare simul operam ut Pragmaticam solemniter idem concilium condemnaret (7). Cui sessioni noluerunt Guillelmus et Dionysius Briçonet, Francisci legati, interesse ne Ecclesiam Gallicanam et fautores ejus contemnerent, « sed consenserunt secrete », ait Paris (8).

(1) *Journal d'un Bourgeois de Paris*, fº 37.

(2) *Diversae litterae Leonis X*. Arch. Vat. *Leonis X Secreta*. Reg. 1201, fⁱ 81, 83.

(3) *Julius de Medicis ad Ludovicum de Canossa*, 19 sept. 1516. Manoscritti Torrigiani, éd. Guasti, fº 127.

(4) *Julius de Medicis ad Ludovicum de Canossa*, 19 sept. 21 nov. 1516. Manoscritti Torrigiani, éd. Guasti, 127, 136.

(5) Barillon, I, 305.

(6) *Julius de Medicis ad Bibbiena*, 11 nov. 1518. Mˢⁱ Torrigiani, éd. Guasti, fº 311-313.

(7) Si cancellarii fidei credimus (Oratio jam cit.) Franciscus I a Leone X Bononiae obtinuerat ut Pragmatica Sanctio nunquam solemniter condemnaretur : des papa Leo illae solemni condemnationi assensus est ad regem puniendum quem clandestino ducis Urbini partes tueri suspicabatur.

(8) Paris de Grassis, XII, 23, fº 185. — Oriou, *Guillaume Briçonet*, 1864.

Hanc tum rerum agendarum rationem rex tenebat, qui praevidebat fore ut Parlamentum obsisteret : ideo his artibus utebatur.

19ª decembris, sessio undecima concilii incepit : quod per annum integrum prorogatum fuerat.

In primo surrexit Maximus Bruni Corvino, Iserniensis episcopus, ambonem basilicae conscendit et bullas recitavit quae continebant ea quae fuerant a papa et Christianissimo concordata. Bullas cuncti approbarunt praeter episcopos Lucerae, Castellamaris, Brugnati, Chii, Ascoli et Tortonae qui plura noluerunt confirmare. Professus est enim Alfredus Caraffa, Lucerae episcopus (utpote qui Francisci et Antonii Duprat dolos praevideret) se concordatis assensurum, dummodo sincere ipsi Franci abolitionem Pragmaticae annuerent. Idem de rerum materia Philippus Sauli et Petrus Fiori : Benedictus autem, Chii episcopus, dixit se non posse huic clausulae assentiri vi cujus oporteret rex prius rebus papae resignandis annueret : nec clausulae alteri quae facultatem tolleret Curiam Romanam appellandi. Joanni Zazi, Tortonae episcopo, accepta non fuit jurisdictio parlamentorum in ecclesiasticas personas. Denique Hieronymus Ghenucci, Ascolitanus episcopus, significavit probari sibi Concordata modo pars utraque ea vere rata haberet, nam Ecclesiam Gallicanam praevidebat eis obviam ituram. Tandem confirmatae bullae et adjuncta sunt codici legum ecclesiasticarum concordata (1).

De miserabili Pragmatica erat nunc statuendum. Tempus erat quo tandem oportebat tolleretur de medio. Rursus ambonem conscendit Joannes Palaviccini, Caballionensis episcopus, et cedulam recitavit quae abolebant « Bituricensem pestilentiam ». Unus episcopus (Tortonensis) improbavit ea revocari quae essent concilio Basileae vel Bituricensi oriunda. Audax adversarius solus stetit a parte sua (2). Ceteri omnes probave-

dicit (f° 23), illum Briçonet Pragmaticam a concilio condemnari sivisse quia reformationem abbatiae sancti Germani cum Leone X-tum moliebatur.

(1) Labbe, *Concilia*, t. XIV, col. 292-314.

(2) *Ibid.*

runt et papa, ait Paris de Grassis, cum oportuit sententiam diceret, haec altavo cepronuntiavit : « Non solum placet, sed multum placet et perplacet (1) ! » Voce illa papae triumphantis et allevati Sancta Sedes finem faciebat modo, ut videbatur, commodis suis propitio, pugnae quam centum ferme annos adversus « pestilentiam Basiliensem et Bituricensem » gesserat.

21 Decembris, anno 1516, cardinalis de Medicis Ludovicum de Canossa et Latino (qui alter erat papae Parisiis minister) edocebat concilium, annuentibus omnibus cardinalibus et octoginta episcopis, concordata confirmavisse a Sua Sanctitate et Rege Christianissimo composita. Addebat papae èt ceteris mirum visum fuisse quod regis legati tunc ab ecclesia Sancti Joannis Lateranensis abfuissent : nihilominus non timeri ne rex fidem suam non conservaret nec non efficeret ut papae et concilii decreta in Gallia valerent (2).

Bullae vero ad Christianissimum mense aprili anni 1517 per nuncium delatae. Bulla *de Pragmatica* in libello violaceo, bulla autem de *Concordatis* in albo erat conscripta : quas ambas in arcula conclusas nuncius confestim Regi tradidit (3). *Exinde aetas Concordatoria incepit.*

Moram non faciemus considerando quam tenaciter luctati sint multi ne concordata in acta publica referrentur. Juvenum in Universitate studentium singulares seditiones tam dure cohibitae et inclementer castigatae : conciliabula illa putida et arrogantia quae ipsa Universitas cum quatuor coactis ad Mathurinos facultatibus, rectore praeside, habuit ; praesulum quorumdam amplissimorum intercessio ; ad congregandum concilium Gallicanum tentata ; imprimis conventus illi memorandi anno 1517 et 1518 habiti in quibus Parlamentum regi, ministris ejus et officialibus adversatum est cum tenacitate ac vehementia insolita interdum, si modo quis ad summam regis auctoritatem attendat : querelae ab ipso Parlamento

(1) Paris de Grassis, XII, 23, f° 185.
(2) *Julius de Medicis ad Ludovicum de Canossa et ad Latino*, 21 déc. 1516. M[ti] Torrigiani, éd. Guasti, f° 136.
(3) Barillon, I, 306.

objurgatae : Antonii Duprat perlonga et gravissima pro Concordatis oratio; concordata denique 22ª Martii, anno 1518 a Parlamento in acta publica coram domino de la Tremoïlle referta « *de praecepto regis reiteris vicibus facto* » : post, rei in legem factae parlamenta, quoties statuunt de beneficiis, insidiantia : prostremo immutatio illa qua Franciscus sublatam ab his judiciariis cœtibus rerum ecclesiasticarum cognitionem ad maximum concilium transtulit et ita singularem contentionem diremit : haec omnia partem constituunt in Concordatorum et privatis Francorum historiis dignam studii et parum usque adhuc exploratam : cui in absoluto magis opere locum faciemus. Talium vero rerum narratio non est huic libello adjungenda pro cujus materia propositum est Leonis papae X cum Francisco I commercium. Papa quidem per Bibbiena legatum discordiis Francorum miscebatur : sed ex illa die qua concordata a rege et papa Bononiae inchoata, deinde a legatis et cancellario absoluta, denique a concilio Lateranensi confirmata Parisios missa sunt, jam inde, quod ad rem ecclesiasticam pertinet, conventus Bononiensis felicem exitum suum habet.

Nunc igitur considerare licet quae ex colloquiis illis alibi jam narratis, tum in re civili, tum in re ecclesiastica, prodierint.

CAPUT VI

DE CONVENTUS BONONIENSIS EXITU

I°. — De re politica

Inter Leonem papam X et Franciscum regem septem saltem fuerant colloquia quorum plura juxta testes qui sinceri esse videntur diutius quam horas duas habita. Singulis ferme diebus, scribit imperatoris Maximiliani legatus, sub noctem, rex ad papam clam ascendit (nam Christianissimo haec colloquia maxime placebant) et longas cum illo confabulationes habuit : praeterea Franciscus cenavit cum Leone et eum ad ecclesiam comitatus est. Sermones quoque permultos inter se fecerunt rex et cancellarius, a Francorum parte, et cardinales de Medicis, Bibbiena, Cibo, Pucci et de Accolti. Fertur denique et Franciscum et Leonem sæpissime cum legatis qui Galliæ aut socii aut hostes erant convenisse. In his colloquiis disputata et conjecta negotia quae operam « diplomaticam » Bononiensem constituunt. Sed rerum tunc actarum progressum agnoscere non licet. Leo enim, vir indolis reconditæ, curabat ut ea quae ageret cunctos laterent, vel eos qui de rebus novis solerent esse certiores : neque ipsius regis intererat ea dissipare quae obtineret. Nemo quidquam novit, ait Paulus Jovius, qui, cum historiis scribendis incumberet, curiosissississimus erat : et addit « *Tra il Papa e il Re non è intervenuto scrittura alcuna* (1) ».

Die quodam rex significat se apud papam Venetorum patrocinium suscepisse : dicit aliquando se venisse ut pacem Europæ stabiliat; in bellum crucis se iturum palam pollicetur. Sed neque ad concordata neque ad regnum Neapolitanum neque

(1) Paulus Jovius, 14 déc.; Sanuto, 396.

ad ullum ex negotiis plurimis quæ Bononiæ disputata sunt eum alludentem audimus.

Cum in intimas negotiationes nefas sit penetrare, mere indicabimus quæ ex illis, tum in civili, tum in ecclesia provenerint.

Ad res Italicas oportuit primum ambo principes attenderent : conventus enim Bononiensis non solum victoriæ Marignani relatæ epilogus fuit, sed et bellorum et disputationum per annos decem gestarum.

Existimavit rex oportere papa confirmaret fœdus in urbe Fano Voltumnae (Viterbi) duobus abhinc mensibus jam pactum : non sine causa Leonem coegit ut profiteretur iterum Parmam ac Placentiam Mediolanensi in perpetuum adjungi et ipsum ducatum Mediolanensem, ambigente nemine, in possessionem regis Francorum cedere. Regi enim id curæ erat, quod papæ consiliarii voluerant concessa restringere et ipse papa dolosis artibus a promissis declinare. 26ª enim octobris, tredecim diebus post pactum Fani Voltumnae (Viterbi) foedus, Ponzio, civis quidam et orator Placentiæ, querelas de concessis Galliæ ambabus urbibus coram papa ediderat : papa autem has querelas, quod Ecclesiae commodis faverent, probaverat, sed Bononiae pontifex Parmam et Placentiam absolute, nec retento jure illius dominii, Christianissimo concedere debuit et eas ducatus Mediolanensis partem esse palam confessus est.

Societatem de bello suscipiendo et defendendo inter se inierunt, ex una parte papa, Florentina Respublica et Medicorum domus, ex altera Francorum regnum. Foederi igitur mense decembri 1515 Bononiæ inchoato, pacto autem Mediolani a Ludovico de Canossa et ab Antonio Duprat, Romæ subscripserunt 18ª februarii, anno 1516, Guillelmus Dionysiusque Briçonnet, Regis ministri (1). Societatem etiam confirmarunt 20ª januarii anno 1519 et magis contraxerunt. Qua fiebat pro-

(1) *Litterae creditoriae.* Ambacia 3 nov. 1516 pro Guillelmo ac Dionysio Briçonnet. *Actum societatis*, 18 feb. 1517. *Ratificatio Francisci I*, 18 apr. 1517. Arch. Flor. Mti Torrigiani, Pergamena, p. 99, 100 et 101.

tinus ut Florentiæ firmaretur familiae de Medicis dominatio : præterea Medicis ingentes pecuniæ constitutæ : qua fortasse etiam Franciscus in posterum sibi adjutorem papam de imperiali corona providebat.

Post negotiationes arduas quos maxime gesserunt cum rege cardinalis d'Esta et tres ducis Ferrariensis ministri qui Bononiae conversabantur, dux Alphonsus, ope Francisci interpositi, impetravit ut sibi Mutina Regiumque redderentur, ea tamen conditione ut papae solveret pecuniam qua Sancta Sedes eas urbes ab imperatore emerat. Papa vero, qui usque ad Bononiensem conventum urbes concedere obstinato animo negaverat, a se datam fidem non servavit : anno etiam 1518 nolebat Mutina copias suas educere : quapropter exstitit cum Gallia longa et acerba negotiatio. Ceterum rex a papa obtinuit ut non solum Verona copias educeret a Venetis vindicata et oppugnata, sed apud imperatorem regem ipsum et socios ejus adjuvaret. Nobis compertum supra fuit papam, quod rem hanc pertinet, promissa omnino praestitisse.

Ducem Urbini, proditi papae reum, ex quo pontifex pœnas volebat gravissimas repetere, rex servare tentavit. Franciscus se interposuit, ait Vettori, sed papa postulationi ejus adeo contrarius visus est, ut rex amplius negotio huic ad statum Romani regni interiorem pertinenti immisceri noluerit. Nulla vero disputatio habita est, licet id contendant plerique historiarum scriptores, ut attribueretur Laurentio de Medicis ducatus ille Urbini a Francisco Maria della Rovere sublatus. Ne Leoni quidem videtur illud consilium tunc probatum fuisse : ergo non potuit Francisco id proponere. Unus ille Laurentius et mater ejus anno 1515 rem talem mente volvebant.

Numquid de regno Neapolitano mentio incidit? Juxta nostrum Henri Martin et nonnullos alios historiarum conditores, hoc praecipuum fuit negotium in Bononiensibus colloquiis agitatum. Qui Leonem exhibent, projecta alia qualibet cura, studentem ab *Utriusque Siciliae* via Franciscum prohibere. Etiamsi haec scriptorum sententia non sit verbum pro verbo interpretanda (nam cui in mentem venire potest regem cum

quatuor millibus hominum ad Neapolitanum regnum occupandum iter fecisse?), attamen existimare non possumus Regem unquam cogitavisse, confecto Mediolanensi bello, Utramque Siciliam invadere. De consilio hujusmodi, neque ante neque inter Bononiensia colloquia, vestigium nobis apparuit ullum. Rex quidem, paucis antea mensibus, arte mira timorem papae injecerat ne modo in australem Italiam irrumperet : mense quoque decembri 1515, effecit ut existimaret papa se tutam ab occupatione Neapolim praestare : hae vero compositae artes erant illius doli instar quo rex invitissimo animo Pragmaticam projicere visus est, ut concordatorum commoda a pontifice auferret. Dimiserat exercitum Franciscus sub finem octobris et statim post commissum Marignani proelium professus fuerat coram consiliariis suis animum sibi esse quam citissime in Galliam redeundi; et satis confirmavit, licet jura sua de regno Neapolitano non neglegeret, minime in hoc consilio, desinente anno 1515, fuisse ut ea vindicaret et obtineret. Potuit Leo opinari se « *Attilae obstitisse* » ; re autem vera « *Attila* » sponte propria et prudentissime in via lubrica steterat quae Carolum VIII et Ludovicum XII in magnum discrimen adduxerat. Nihilominus videtur nullo jure suo de *Utraque Sicilia* Bononiae cessisse ; papa igitur inani admodum victoria gestiebat.

Confectis Italiae rebus, in negotia quae universa magis erant, curam converterant. Promisit papa se omne studium suum collaturum ut pacem inter se principes Christiani facerent, scilicet ex una parte Francorum rex, ex altera vero Aragoniae rex et imperator (pepigerant modo Helvetii cum Francisco clarissimum fœdus *pacis perpetuae*). Paucis enim postea mensibus, ex eo quod medium se Leo inter principes obtulisset, fœdera inter se confirmarunt Noviomagi Carolus, recens Hispaniae rex factus, et Franciscus ; Bruxellis vero, Franciscus idem et imperator. Fœderis Bruxellis pacti negotiationem frater Aegidius suscepit et videtur callidissime gessisse, nam imperator, mense januario 1516, gravari se aperte confessus erat res Bononiae compositas, de quibus in epistola ad filiam

suam Margaritam verba irata fecerat (1). Conventus Bononiensis causa, *Sacra illa Coalitio*, quae Julii papae opus fuerat et tam periculosa in Galliam visa erat, Leonis papae opere dissoluta erat.

Rex de bello Sacro suscipiendo fidem suam papae obstrinxerat cum Turcae in Hungariam viderentur irrupturi. Quibus rerum temporibus promissum illud factum fuerit, quomodo ex hoc Franciscus occasionem petierit suam et datae fidei se praestiterit immemorem, jam nobis antea compertum fuit.

Numquid actum est de imperio? Provecta aetate Maximilianus erat, parum stabilita apud Germanos Austriaca domus, et archidux Carolus, Maximiliani nepos, jamjam in possessionem venturus regni Neapolitani (quod cum corona imperiali jungi nefas erat juxta institutum studiose a Sancta Sede conservatum traditioneque confirmatum et conditionem olim in fœdere quodam haud ambigue pactam). Jam ex hoc videbatur Francorum rex ita animo compositus ut competitorem se profiteretur. Utrum tabula picta in conclavibus Vaticani mera fictio est (fictio haec quidem fuisset audacissima quae a Leonis X pictore repraesentata est et admodum admiranda, quam idem ingenium concepisset quod paucis antea mensibus penicillo utebatur ad pingenda signa prorsus contraria), an significat et jam sancit promissum aliquod Bononiae factum? Num Leo X, quemadmodum alter ille papa Leo, pollicitus erat se alteri Carolo Magno coronam impositurum? Num talis promissi argumentum est epistola nuncio in Germania, 30ª decembris missa, qua papae legato praescribitur ut « *de re politica consiliis Chritianissimi se accommodet* (2) » ? Id dictu difficillimum; majoris etiam negotii esse videtur quaestionem quoquo modo expedire. Rex vero, inter ea quae anno 1518 et 1519 facta sunt, tale papae promissum nunquam prae se ferre visus est.

Quidquid id est, videtur rex omnia vel fere omnia desiderata

(1) *Maximilianus ad Margaritam*, 5 jan. 1516, t. II, p. 315.

(2) *Leo X, ad episcopum Verulanensem*, 30 déc. 1515. Bembo, lib. XI, *lett.*, XVII, 262.

sibi de rebus Italicis et de rebus quae ad alias varias gentes spectarent a papa impetrasse : effecit (neque e rebus quas vindicabat remisit ullam) ut sibi et sociis suis, id est Reipublicae Venetorum et Ferrariensi duci, omnes terrae concederentur quas exigerent : utrique igitur civitati promissa fideliter praestitit. Nihilominus vertunt regi crimini (rem omnes invicem historiarum conditores sine consideratione et uno eodemque modo conscripserunt) quod ducem Franciscum Mariam della Rovere, socium suum, papae permiserit puniendum (1). Re autem vera nihil pactus erat nepos Julii papae cum Ludovici XII herede. Dux ille juris sui non erat, cui non licebat, quemadmodum duci Ferrariensi vel Mantuano marchioni, a parte ad partem transire, desciscere a papa et regis partes amplecti tantummodo cum excommunicationis periculo; erat enim vassalis Sanctae Sedis, pontificalibus copiis praefectus : Sanctam Sedem igitur miles, non socius, prodiderat. Poterat Franciscus ab exasperato domino vitam hominis deprecari qui ejus patrocinium appellaret, sed non licebat regi (quin res gravissimi momenti in discrimen adduceret aut jura laederet quae illis maxime temporibus omnem disciplinam et ordinum reverentiam tutarentur) aliud quidquam tentare, invocatae Pontificis clementia. Nemo dicere jure potest regem aut socio defuisse, cum dux Urbini nunquam cum eo societatem junxisset, aut insontem et infirmum hominem contempsisse, cum Franciscus della Rovere mere vassalis proditi domini reus milesque transfuga vere esset ; revera rex a papa obtinuit quae oportebat ad propria commoda et ad sociorum utilitatem sollicitaret.

Quidnam igitur Leoni retribuit? Grandem quippe Medicis pecuniam ! Sed nummi quos videbatur tanta luxuria effundere, curabat Bononiae etiam ut sibi centies redderentur : non solum enim papa ei trecenta et quadraginta librarum milia

(1) « Fu creduto che'l Re per avere il Papa tanto piu congiunto e favorevole all' acquisto del regno di Napoli vedindolo tanto infervorato contro il duca (d'Urbino) non si curasse col farne maggiore istanza di pregiudicare alle cose proprie ». Leoni, *Vita di Francesco-Maria, duca d'Urbino*. Lib. II, p. 170.

condonavit Sanctae Sedi a Ludovico XII debita, sed etiam ad impensas sacri belli futuri concessit ut a clero decimam exigeret : quod mere tributum fuit opulentissimo christiani orbis clero imperatum. Rex praetera Medicos Florentiae stabilivit. Sic, ex Franciae traditionibus, juncta iterum hac societate quae olim optimos fructus dederat, Franciscus per papam qui erat de Medicis sibi sociam certam et fidelem Florentiam paravit : id obtinuit quod multi merum somnium esse reputabant, ut scilicet opulentissimarum in Italia Rerumpublicarum, Venetiarum ac Florentiae, praesidio una fulciretur. Qua de causa visus fuerat aliquid Leoni X concedere : nil vero concessit nisi ex certissimo consilio et nisi id quod suis commodis admodum inserviret. Idem et de re Neapolitana, quam prius expositam nobis jam liceat omittere.

Quid igitur sibi papa retinuit? Superbiam nempe, quod ipse, heres Julii papae, propter mansuetudinem et longanimitatem suam, vidisset provolutum ad pedes Christianissimum, Ludovici XII heredem. Quos enim de sua victoria clamores Curia Romana ediderit nemo satis intellegit : licet conjicere nil inter ea quae Bononiae facta sunt visum esse majus Romanae Curiae *Obedientia Christianissimi*. In *Diario* magistri caerimoniarum, in epistolis aut Bononia ad reges a Pontifice missis aut a Medicis postea ad ministros suos scriptis, excellit *caerimonia obedientiae* et colloquia politica et ecclesiastica conventa. Romae, homines humilis fortunae qui in potestate Curiae erant, fabulam hanc facile receperunt et vulgaverunt, regem scilicet Christianissimum non alia quaquam de causa Bononiam venisse nisi ut in verba Beatissimi Patris juraret. In singulari *Diario* gallico quod existimamus a servo cujusdam cardinalis fuisse conceptum, quod neque affert multa de Bononiensi conventu documenta, haec sunt « *Le Roi entra le 11 Décembre à Bologne pour donner l'obedience* » ; 14ª vero decembris, cum de consistorio sermo est « *Le Roy de France y estoit lequel donna l'obedience en personne au pape* (1) ». Cete-

(1) *Diarium manuscriptum*. Bibliotheca Barberini, Romae. Mti XLIII, 98.

rum ipse Francorum rex omni ope atque opera enisus fuerat ut papam et eos qui circa eum erant vana spe luderet. Blanditiis ac reverentiae signis papam rex inebriaverat ut cum delicatissimi thuris fumo, ut ita dicam, Pontificis aciem oculorum praestringeret (2), Franciscus cum dulci risu non tantum omnia quae ad commoda regis in Italia et in tota Europa verterent ex eo percipiebat, sed etiam, sed maxime munus magnificarum divitiarum et formidandae potentiae qua, ex pactis Bononiae de re ecclesiastica conventis, Christianissimus fruiturus erat.

2° *De re ecclesiastica.*

In bibliotheca nostra Parisiensi, in codicibus nomine Dupuy appellatis, index pretiosissimus reperitur commodorum ad res ecclesiasticas pertinentium quae Franciscus ex colloquiis Bononiae habitis percepit. Hic index statim a conventu conscriptus maximi nobis momenti videtur. « *S'ensuit ce que le Pape octroya au Roy Très Chrestien nostre souverain et naturel seigneur l'an* 1515 *à Boulogne où ledict seigneur fust en personne luy faire obeissance filiale. Et premierement ce Concordat qui est le plus grand et excellent privilege qui sortist oncques du Sainct Siege Apostolique*....... » Tum scriptor catalogi extorta a rege pro « *l'obeissance filiale* » commoda promiscue persequitur : jus designandi per vitam suam titulares ecclesiarum in Britannia, in Provincia, in Mediolanensi (quod novimus postea a Curia Romana litigatum esse); sublatas sedes episcopales quae fuerant, invito rege, Burgi et Camberiaci in Sapaudia constitutae; decimam sacri belli; veniam his qui cum rege essent concessam ad sacramenta accedendi in quavis paroecia commorarentur; revocatum episcopum Eboracensem a sede Tornacensi quam sine Ludovici XII venia acceperat; creatam legationem *a latere* in Gallia biennem et famulo regis conferendam; absolutos in universum subjectos regis ab omnibus quas Julius

(2) Cf. Exordium bullae concordatorum. Leo X[us] per ostentationem revocat « praestationem obedientiae » quam Rex Christianissimus ei « personaliter » fecit. Cf. Concordata 1516. *Bulla Leonis X.*

papa protulerat excommunicationibus ; licentiam datam duas ecclesias Celestinis aedificandi : concessam *equitibus Ordinis* plenariam indulgentiam quicumque, die festo Sanctae Crucis, missam essent audituri, etc, etc (1). Patet rem nullam neglectam esse, circa magna et minima pariter Bononiae disputatum et religioni subjectorum sicut et ambitioni regis satisfactum. Ex enumeratis rebus nonnullae regi vere utilissimae erant. Legatio haec *a latere* industria erat callide a regibus inventa, cujus gratia abhinc quinquaginta annis papam propriis ipsius armis petebant : nam, cum legatio ministris deferretur regi stüdiose inservientibus, qualis erat Joannes Jouffroy (Ludovico XII regnante) aut Georgius de Ambasiâ (Ludovico XII regnante), deferebantur ipso facto eis et immensa jura quae huic muneri papae constituerant, id est omnia illa quorum licentiam papae concordata permittebant : melius erit dicere haec jura nunc in regis manu sita esse. Jus autem ecclesias et abbatias in Britannia et in Provincia mandandi lacunam quamdam concordatorum explebat ad quam mox revertemur.

Attamen rerum concessarum caput concordata erant. Quae non possumus hic per singulos articulos describere neque a fortiori omnibus ex partibus considerare : hujusmodi commentaria in opere alio pleniore locum habebunt. Hic vero satis sit summam articulorum specialiter Bononiae pactorum referre, res praecipuas strictim interpretari et paucissimis considerare quae ex conventis prodierint (2).

In primo Concordatorum capite modus constitutus erat optimates clericorum deligendi : sublatae scilicet electiones : « *nominabat* » rex in regno et in Delphinatu archiepiscopos, episcopos, abbates et priores : quos papa « *instituebat* ». Rex debebat intra sex menses ex quo sedes vacaverat, candidatum « *idoneum* » designare, id est qui aetate et scientiae aut genere et professione muneri par esset. Quod si vir a rege electus his dotibus indigeret, eum Sanctae Sedi licebat repudiare. Tum

(1) Bibl. nationale, Parisiis. Man. Dupuy, 117, f° 1.

(2) Cf, Ipsa concordata. Isambert, t. XII, 1ª pars, p. 75. Cf. Notitia operum, art. Concordata.

rursus Christianissimo tres menses ad quaerendum alterum candidatum prorogati : quibus intermissis, papa ex seipso titularem nominare poterat. Ceterum Sancta Sedes jus sibi servaverat *beneficiorum in Curia Romana vacantium* titulares nominandi, id est sedium praesulum qui aut Romae aut in qualibet urbe papa diverteret, morerentur.

Servabantur electiones in capitulis et abbatiis quibus Roma speciali indulto eligendi privilegium olim indulsisset.

Electos multis gaudere dotibus oportebat : septem et viginti annos saltem natos esse episcopos, tres vero et viginti abbates. Erit qui ad sedem aliquam episcopalem promovendus est magister vel licenciatus in theologia, aut doctor aut licenciatus in utroque jure in Universitate. Hac conditione immunes erant solum regis consanguinei, viri nobiles et mendici monachi.

Regulares secularia beneficia et invicem regularia seculares jam consequi non poterant.

Ergo ex hoc primo capite sequitur gratias expectativas tolli de medio quibus papa hoc vel illud beneficium in antecessum prius dare solebat.

Ad inferiora beneficia (canonicatus, curias, officia ecclesiarum cathedralium et monasteriorum) collatio soliti collatoris erat : qui certis legibus in eligendo debebat obtemperare. Praebendam unam in singulis cathedralibus attribuere debebant presbytero gradibus theologiae pollenti, qui decem annos in Universitate studuisset et singulis hebdomadibus bis aut lectionem aut concionem facere teneretur. Quem, si hoc officium desereret, fas erat ad tempus fructibus ejus muneris spoliare. Ceterorum beneficiorum tertiam partem dare debebant collatores clericis qui gradus Universitatum obtinuissent. Nec licebat unquam legi huic derogare. Si quis collator eam violabat, jus amittebat nominandi, quod ad proximum superiorem tunc transibat. Studiorum vero tempus competens hoc modo constitutum : « decennium in magistris seu licenciatis aut baccalariis in theologia, septennium vero in doctoribus seu licentiatis in jure canonico, civili aut medicina : quinquen-

nium autem in magistris seu licenciatis in artibus... sexennium autem in baccalariis simplicibus in theologia, quinquennium vero in baccalariis juris canonici aut civilis, si ex utroque parente nobiles fuerint, triennium esse ». Praefati graduati et nominati de praefato tempore studii per litteras patentes Universitatis in qua studuissent manu scribae et sigillo universitatis signatas fidem facere tenebantur.

In litteris nominationum beneficia ab illis possessa « et eorum *verum valorem exprimere tenebantur*.

Post ea concordata de jurisdictione decernebant : « Omnes et singulae causae... apud illos judices in partibus qui de jure aut consuetudine praescripta vel privilegio illarum cognitionem habebant terminari et finiri debebant »... « Si quis offensus coram suo judice justitiae complementum habere non poterat, ad immediatum superiorem per appellationem recursum habeat, non ad aliquem superiorem, etiam ad regem, vel Sedem Apostolicam, omisso medio... Si quis vero immediate subjectus Sedi Apostolicae ad eamdem sedem duxerat appellandum, causam committere debebat in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem inclusive... Sanctae vero Romanae Ecclesiae cardinales qui pro universali Ecclesia continue laborant necnon Sedis officiales, officia sua actu exercentes, sub decreto non comprehendebantur » (hoc est sane quod Sacrum Collegium in anno 1516 obtinuerat) ». Judices causas ecclesiasticas et beneficiarias intra biennum terminare debebant.

In fine concordatorum, pacificos beneficiorum possessores in possessione sua confirmabant : poenas quoque in sacerdotes qui publici concubinarii essent edicebant; sortem excommunicatorum levabant; de « interdictis non leviter ponendis » leges praecipiebant; auferri denique « Clementinam litteris » decernebant (« Clementina » erat constitutio de beneficiis in manibus papae resignandis olim edita) (1).

Summa illa est concordatorum quae 21ª aprilis anno 1517

(1) Durand de Maillane. *Dictionnaire de droit canonique*. Ex articulo Clementinae.

ad Ludovicum de Canossa, Tricaricensem episcopum, missa sunt. Praeter caput de jurisdictione quod post conventum Bononiensem negotiatores emendati erant, videntur acta haec fideliter imitari conventa quae ambo, rex et papa, Bononiae composuerant quaeque eorum ministri posterius pacti erant.

Sane praeter ea quae concordatis objecta sunt de natura rei et de jure, actum ipsum erat non levibus reprehensionibus obnoxium : quas per annos trecentos multi et recentes etiam non semel renovarunt (1).

Patet hic de operis summa non esse generaliter disputandum cum alibi id aggrediamur. Nihilominus, si actum ipsum tantummodo attendimus, nobis necesse est agnoscere illud gravibus lacunis et importunis vitiis laborare.

Primum caput, quod unum ad nos spectat quia exivit quasi fructus ex habitis a papa et rege inter se colloquiis, aliam multo graviorem vituperationem subit. Propter commissam regi nominationem et papae institutionem, quaestio oritur quae ne concordatis quidem Bonaparte expedita est. Si indignum quem vel imperitum rex eligit, jus papae liquet : recusabit, tres alios menses regi concedet, tandem progredietur ultra et ex se titularem nominabit (haec vero praescriptio irrita semper fuit : nunquam papa plene jure suo usus est, poterat tamen). Hoc patet. At si Sancta Sedes contra, cum ei deferatur legitima admodum nominatio et omnibus conditionibus conveniens, tamen de causis ab electo viro alienis conferre institutionem negat, quae regi tum actio superest? Quam agendi rationem tenere debet? Qua via conditio haec rerum expedietur? Qui status, si diutius trahetur et propagabitur, fiet intole-

(1) Cf. Colloquium inter Consulem Bonaparte et episcopum Grégoire paucis mensibus ante concordatorum 1802 pactorum conclusionem. « L'archevêque d'Aix Guénebrard, ait Grégoire, l'historien de Thou, Van Espen et tous les bons canonistes regardent les concordats et spécialement celui de 1516 comme des mystères d'iniquité. Celui-ci n'a été établi que par la loi du plus fort et, suivant l'expression de Duhamel, c'est le tombeau où se sont ensevelis les droits de l'Eglise ». De Pradt autem scripsit : « Bologne fut, en religion, pour François I[er], ce qu'à la guerre Pavie devint pour lui, quelque temps après ». Cf. sur les inconvénients et conséquences du concordat, Hanotaux, *Etudes sur le XVI[e] siècle* — Benoist, *L'Eglise et l'Etat*, p. 21, 24.

rabilis calamitas. Res non solum ad doctrinam pertinet : re saepe exstitit, vigentibus prioribus et recentioribusve concordatis. Regnante enim Henrico IV, Andreae Benoît, Autissioduri episcopo electo, papa *duodecim annos* bullas institutionis denegavit. Regnante autem Ludovico XIII, sex annos sedes Consoranensis vacavit quod dominus de Marca titularis a rege electus propter scripta quaedam « Gallicanae » doctrinae faventia male acceptus Curiae Romanae esset : denique, ut factum hujusmodi clarissimum commemorem, cum inter Ludovicum XIV et Sanctam Sedem erat contentio, papa bullas institutionis duodecim clericis immerito denegavit quod conventui anno 1682 habito interfuissent : vacaverunt igitur duodecim annos sedes episcopales quae mox numero fuerunt triginta quinque pro duodecim. D'Héricourt, audacissimus « Gallicanus » id proponebat ut a metropolitano tunc clericus institueretur. Rem vero istius modi nil comprobat. Potest quoque electus a rege clericus decreto judicum secularium fructibus praelaturae suae frui. Sed raro exinde tranquillitate animi gaudet, si filius quidem Ecclesiae observantissimus est, aut saltem minime apud fideles dioecesis suae auctoritate valet. Gravissimum momentum difficultas habet, nec quidquam ad eam expediendam pactum est in concordatis anno 1516 neque in Concordatis anno 1802 institutis. Respondent quidam juris canonici magistri papam, cum civili imperio jus vere immodicum delegat pastores Ecclesiae deligendi, nihilo concedere ut sua condicio cum civilis imperii condicione conferatur, neve ut exsistat aliqua similitudo inter jus nominandi temporali imperio delegatum ac jus instituendi, quod a Christo et a Petro ipse se habere contendat. Sed ad respondendum assumta sunt a magistris juris canonici principia de quibus hic disputare non licet, cum aliquid objecerimus non ad doctrinam rei, sed ad exercitationem spectans. Non saepe quidem dissidentia exstitit, ter quaterve intra quadringentos annos. Sane compositione aliqua vel transactione litem semper redegerunt. Constat nihilominus Ludovicum Magnum atque Imperatorem Napoleonem, quibus nullus imperiosior fuit rex in Gallia, victos in

causis hujusmodi esse, postquam etiam diù in his rebus implicati et impediti erant. Etenim, ut ait de Pradt, voluntas papae « *non déclarée, non discutable, suspend, arrête, irrite tout* » .

Jus titulares nominandi *beneficiorum in Curia vacantium* brevi obsolevit. Oportuit enim papa quotiescumque, raro quidem, jus illud voluit exercere, electum a se clericum acceptum quoque regi faceret. Ceterum nunquam Ecclesiae Gallicanae placuit jus regis hac exceptione imminui. Hac tamen clausula inerant commoda neque Antonium Duprat, acutissimi ingenii virum, latuerat quas capere utilitates ex ea liceret : quae impellebat papam ut Francis cardinalibus quam plurima ex Curiae officiis attribueret : sic quidem Pontifex sibi quaestus magnos parabat, sed devotissimos Galliae satellites in Curia apud se constituebat.

Eo consilio erant electiones conservatae in ecclesiis et abbatiis hujusmodi privilegio gaudentibus ut res majoris momenti innovatae Bononiae facilius fautoribus Ecclesiae Gallicanae probarentur. Id vero consilium parum bene successit et haec altera exceptio de concordatis mox sublata est; anno 1531, indultum speciale Clementis VII[i] (Julii de Medicis) Christianissimo jus concessit horum beneficiorum, quemadmodum ceterorum, titulares nominandi; suffragia servaverunt quatuor tantum abbatiae quae in ordine Cisterciensi antiquiores erant.

Modus ad beneficiarios aut proceres aut humiliores eligendos constitutus commodum praestabat, quod re vera inane inventum est. Articulus enim qui jubebat collatores tertiam beneficiorum partem dare viris qui gradibus Universitatum pollerent, is erat qui Ecclesiae Galliae eruditum clerum et litteris imbutum pararet. Data in Universitatibus institutio (multiplex sane, cum ad obtinenda beneficia gradus medicinae et artium utiles essent non secus ac juris et theologiae gradus) multum praestabat (quod pertinet ad mentium libertatem et ad disciplinarums diversitatem pertinet) pinguioribus seminariorium litteris. Poterat tamen Universitas seminariis inferior esse in hoc quod ad piam institutionem sacerdotum est. Clericos enim parabat

Universitas qui ex ipsa eorum institutione saeculo potius immiscerentur : huic rerum condicioni commoda inerant et incommoda. Sed oportuit proceres clericorum lege de gradibus obligati fuissent. Nam id quod erat proximis regis et generosis viris supra leges insipienter concessum vitiosissimas consuetudines induxit quarum mox apparuit licentia.

Ultima concordatorum capita minus ad rem nostram con ferunt : quae constat post Bononiensem conventum esse composita. Tamen de jure Curiam apellandi tollendo consenserant : quod decretum sicut et ea quae pacta sunt de jure excommunicationis et interdicti severe restringendo, multum ad Ecclesiae Gallicanae libertatem contulit, nec futuris de his opus est disserere.

Rem in universum consideranti videtur Curia Romana sibi tantummodo concordata fecisse, quae non adeo codicem ecclesiasticae disciplinae olim Pragmatica Sanctione constitutum emendaverunt, imo parum ab eo erant disparia. Ea enim fuerunt sollertia Franciscus I et maxime Antonius Duprat (qui ceterum postea id sibi laudi superbe vertit) ut, specie concordatorum, papam Pragmaticae cuidam subscribere coegerint : quae quidem dissimulata est, sed miram cum priore similitudinem habet, si quis bina conventa confert. Id ipse cardinalis Pucci fatetur in *Informatione* quam supra descripsimus. Venetis igitur legatis licuit fortasse dicere, quod consentaneum est, Papam confirmasse Pragmaticam cum Regi nominationem beneficiorum concederet ; plerisque videbantur concordata confirmatio Pragmaticae esse. « *La Pragmatique Sanction contenant les decrets du Concile national de l'Église gallicane assemblée en la ville de Bourges avec le concordat d'icelle* (1) ». Hic est titulus libri de concordatis, anno 1561 editi, et jure derisit Franciscus Rabelais id conventum quod minime fas erat divortium Dominae Pragmaticae, sed matrimonium potius appellare. Concordata enim paene Pragmaticam restituebant quam concilium erat adeo solemniter condemnaturum :

(1) *Opus*, Parisiis anno 1561, editum.

sublatam scilicet a papa electionem titularium, conditiones aetatis et scientiae easdem renovatas ,tertiam beneficiorum partem viris Universitatum gradibus ornatis conferendam, abolitionem expectativarum, jus denique prohibitum Romam appellandi. Haec omnia quae Pragmatica olim instituerat nunc in leges Concordata instaurabant. Ad haec etiam accedebat quod ipsa Pragmatica papae olim concesserat nominationem beneficiorum in Curia Romana vacantium. Licet igitur conjicere Antonium Duprat cum quadam animi voluptate et ironiae sensibus, mense aprili, duas bullas accepisse quarum una condemnabat, altera restaurabat Pragmaticam. Haec ironia foras erupit cum cancellarius suam ipsius in rebus agendis astutiam laudavit, et, demonstrata binorum constitutorum similitudine, his finem disserendi fecit (rem paululum augebat): « *En sorte qu'il n'y eust autre difference que ce qui s'appelait Pragmatique s'appeloit concordat par quoi avoit sa source es autorité du Concile de Basle peust du Concile de Latran.* (1) »

Hoc enim optimi aderat quod concordata *consensio* erant et ideo confusionem illam rerum ecclesiasticarum componebant quam supra breviter tentatavimus describere, res quoque uniuscujusque consensu omnium conficiebant. Etenim, cum concordata anno 1516 Francisco I quidam crimini vertunt, quae forsitan instituta in se sint immoderata, in exercitatione autem vitiis quibusdam laborent, peccant qui ea reprehendunt, consideratis minime variis rerum temporibus quas inter pacta sunt et in exordio hujus libelli commemoravimus. Tunc imminebat a concilio condemnatio Pragmaticae, res minime dubia et calamitatum nuntia in posterum : exposuimus quid haberet incommodi schisma. Num regi praeterea sinendum erat rursus Galliam ad immoderatum Romae jugum revertere? Sors haec Galliae fuisset ni obstitisset conventus Bononiensis. Num ipse, qui rex esset, rex summae potestatis, rex juris sui tenax, rex jurisconsultorum simul atque Rex Christianissimus, Gallicanae denique libertatis patronus et

(1) *Oratio cancellarii*, jam cit.

custos, num poterat, quod ad illum proprie pertineret, hanc esse rerum condicionem sinere? Quod si nisus fuisset ut papa confirmaret modum illum eligendi per suffragia quem fautores Pragmaticae tam magnifice praedicabant, de quo etiam ante illos viginti quinque annos cum tanta admiratione et inscientia recentiores historiarum conditores disputabant : quis existimat tunc futurum fuisse ut electores, ad libertatem suam et conscientiae tranquillitatem servandam, melius a se insidias pecuniae, optimatum ambitus et imprimis papae regisque tyrannidem defendissent? Neuter electiones fieri, quin esset earum particeps, sivisset. Rex, ut prius, plurimum apud electores valuisset, acceptos sibi proposuisset candidatos quibus, si electorum suffragia non potuisset obtinere, parum negotii duxisset, potitus summae potestatis (vel Valesius in XVI° seculo vel Borbonius in XVII°), electionem convellere. Papa vero, a quo Pragmatica Ecclesiam Gallicanam tutam non fecisset, electionibus et ipse immixtus fuisset, candidatos quoque palam obtulisset efficacius etiam et instantius rege, propter instrumenta terribilia quae ad animos terrendos, impellendos vel alliciendos Curia Romana in promptu semper habuit. Tandem, post controversias multas, lites, contentiones, abusus et disputationes ex quibus Ecclesia Gallicana plagas reportasset, extremum fuisset commissum praelium quod illam ruina maxima afflixisset. Nobis jam constitit electiones impeditas, pecunia comparatas et sine honore esse. Quî vero eas correxissent? neque inferiores clerici, nec fideles digniores capitulis erant qui pastores Ecclesiae cooptarent; qui aut pecunia facilius quam canonici capti fuissent, aut regum minis commoti; cum igitur futurum esset ut necessario rex partem in his rebus haberet, electiones ad arbitrium suum regeret, candidatos designaret et etiam, ut ita dicam, eos imperaret, nonne melius erat sinceriorem rerum conditionem fieri, minus occultam tyrannidem esse et in posterum aliquid provideri? nonne melius erat efficere ut qui tyrannus Gallicanae Ecclesiae exstitisset, in patronum ejusdem Ecclesiae mutaretur, cujus maxime interesset eam

adversus alterum tyrannum, Romanum papam, tueri? Si quis nunc objiciat licuisse nominationes illas regis arbitrio traditas saltem aliquo temperamento emendari (quale fuerit Aurelianense edictum, anno 1560, quod juberet, antequam fieret nominatio, tres regi candidatos exhiberi ab electionibus quorum coetum pro dimidio uno laici constituerent, pro altero clerici), respondemus legem hujusmodi quae, incipiente XIX° seculo, potuisset cum magna utilitate de eligendis episcopis institui, prorsus abhorrere cum Franciscus I concordata confecit. Lex enim hujus modi electionem abolevisset; ergo mentio nulla temperamenti esse poterat quod etiam vires addidisset clericis statim a conventu Bononiensi. Obsistentibus talis lex quoque confusionis fuisset occasio et re ipsa electionem cum omnibus ejus incommodis restaurassset.

Ceterum, consideranti condicionem Galliae in XVI seculi initio, patet suffragia (sive plena fuissent, sive temperata) minime congruisse his quae de administratione Civitatis Franciscus I et omnes qui stabant circa eum sentieban. Reges enim, immolatis oppressisque supremis et novissimis libertatibus quae regalem potentiam coercebant quaeque Ludovicus XI non prostraverat, erant modo in Gallia fundaturi regnum illud tyrannicum et absolutum quod inchoatum et auctum per XV° seculum est. Constat Pragmaticam, quae anno 1438 constituta est, regi et papae imperatam fuisse, quorum amborum res, iisdem temporibus, in pessimo loco erant. Sed, cum regnum tunc ab antiqua imbecillitate sua reficeretur, fieri non poterat quin Reges Christianissimi concessa anno 1438 revocare ad se tentarent et constituta impugnarent coetus ecclesiastici absoluti et omnipotentis qui suos ex se diligeret, Regis arbitrio posset adversari et coepisset optimatum clericorum ordinem formare cum fuisset modo afflictus laïcorum optimatum ordo. Ergo Reges, quales fuerunt Ludovicus XI et Franciscus I, nihilo admonitionibus Pii II ac Leonis X adducti sunt ut existimarent Pragmaticam necessario abrogandam esse et electiones abolendas. Quae pactus est Franciscus I concordata non sunt singularia, sed potius cum serie rerum certis-

sima connectuntur. Ludovicus XI, rex in xv° seculo absolutus, jam concordata aliqua in legum codicem retulerat : res quae in regum mente aucta est et confirmata paulatim, valet tandem, regnante Francisco ; oportet, in regno absoluto, *Ecclesia Civitatis* jam non sit nisi *Regis Ecclesia*. Quando reges totam civitatis administrationem ad arctissimam unitatem redegerunt et, instar immanis aedificii, regnum universum et absolutum exstruxerunt, in lapidibus fundamenti posuerunt concordata.

Haec igitur conventa consilium adjuverunt quod sibi reges proposuerant, sed et eis alia commoda praestiterunt. Ex quo enim feudos Ludovicus XI confregit, oportuit reges curam adhibere ut ad se attraherent coetum illum optimatum qui erant dissipati quidem nec jam ad magnas seditiones apti, sed potentes et prompti ad resistendum. Post conventum vero Bononiensem, rex centum et quinquaginta sedes episcopales et abbatiarum plura milia in manu habebit, thesaurum inexhaustum cujus largitione viros omnes Galliae nobili genere oriundos in fidem suam et in servitutem etiam rediget. Ceterum acta anno 1515-1516 non deceperunt quemquam. Ludovicum de Canossa, nuntium, unum ex his qui pacta inter papam et regem diligentissime juverant, minime latuit cur rex sibi jus nominationis vindicavisset. In prooemio libri ejus, « *Del Governo della Francia* », quem ipsi Francisco dicavit, illae causae candidissime expositae sunt (1). Apud Brantôme vero non candide tantum, sed impudenter (2). Neutrum, nec Italum episcopum, nec Francum scriptorem, offendisse videtur *conversa, ut itam dicam, illa simonia* qua rex laïcorum servitutem bonis ecclesiasticis sibi comparabat : « *Le roi*, ait jure Gabriel Hanotaux, *le roi devint le plus grand dispensateur de la richesse publique, la puissance vers laquelle se tournèrent en suppliant toutes les convoitises personnelles et les plus légitimes ambitions* (3). »

(1) Ludovicus de Canosa, *Trattato del governo del regno di Francia*. Bibl. Vaticana, Codex 858.
(2) Brantome, III, 107.
(3) Hanotaux, *Études sur le* xvi[e] *siècle*.

Patet ex hac rerum conditione gravissima exiisse incommoda. Jam Ecclesia in feudum potentiæ secularis fiet : « Thronus et altare » coacti in unum, eisdem simul rebus prosperis utentur, sed etiam non multum postea simul infortunia ferent. Catholicismus in Gallia laïcus fit, officii sui immemor. Clericorum proceres mutantur in aulicos : Galliæ ecclesia ad administrationem pertinet et ad « *folium beneficiorum* » quasi ad Evangelium suum et Decalogum arrecta est : « *Questa domination*, scribit jam anno 1535 vir quidam publicus Venetorum, *gli* (*al Re*) *da una grandissima servitu ed obbedienza da prelati e laici per lo desiderio che hanno de beneficij*. » Sed non oportet haec severius despicere. Vigentibus enim concordatis, exstabit illa Gallicana Ecclesia quae adeo ex concordatis nihil damni accepit (quod simulabant se reformidare qui 1527 novis rebus adversati sunt), at contra arma ex eis sibi traxit ad tuendam suam et totius Galliæ libertatem a Romana injuria. A regibus enim fortiter adjuta, stabit contra Curiam mire tenax, non rebellis, audax, non insolens : et illa est gloria ejus et proprius habitus. Alet viros tum sincera et eruditissima fide, tum nobili mentis libertate et incredibili doctrina, interdum etiam virtute haud dubia conspicuos. Fuerunt inter episcopos juxta constituta Bononiensia electos et Bossuet et Fénelon et Fléchier et Massillon et Belzunce et centum alii hujusmodi praesules. Nonnullos ex eis forsitan existimemus humiliora de Ecclesia sensisse et quæ parum nunc nobis arrideant : quippe qui Ecclesiam cum Civitate et Rege unum quid esse vellent. Ne vero nos fugiat viros illos sic obtinuisse ut Ecclesia semper et cum tota gente et cum patria res una esset. Neve eos condemnemus propter ea quae sentimus nos, plebicolæ aut ultramontani, sed admiremur nomina clarissima aetatis hujus quæ sane vitiis propriis laboravit, diu tamen insignem clericorum ordinem in Gallia nostra exhibuit et singulari illo libertatis suæ studio eminentem quod posthac non comparuit.

Utique Concordata, sive utilia erant sive noxia genti et Gal-

(1) *Marinus Justiniani*, 1535. ALBERI, Rel. série I, t. I.

licanae ecclesiae, commoda regno et civitati haud ambigue esse videbantur. Caeci igitur sunt aut saltem maxime errore praeoccupati, quicumque contendunt et saepius in ore habent Franciscum Bononiae captum a papa, consiliarios autem ejus pecunia corruptos fuisse. Si Leo X emit Boisy et Duprat, non bene nummos suos collocavit ; sane et papa ex habitis Bononiae colloquiis commoda cepit : sed ea erant futura inania.

Revera pacta anno 1515-1516 concordata gravissimi momenti sunt in annalibus pontificatus Romani. Jus pontificale instituendi quod fuerat nunc probatum, nunc toleratum, interdum rejectum, semper vero controversum, concordata palam confirmarunt et optima confessione agnoverunt, cum gens esset eadem, quae nunc jura papae agnoscebat, quae tam diu contra Sanctam Sedem libertatem suam vindicavisset et Romanae dominationi cum vehementia et tenacitate restitisset. Nunquam Sancta Sedes affectavit pauciora, nunquam vero Civitas ulla distinctius confirmavit ea quae Ecclesia affectabat. Ad summum Concordata gravissimum et diuturnum bellum conficiunt : prosternunt opus quod habita xv seculo concilia susceperant adversus Romam et Romanos Pontifices, cujus aboris Pragmatica supremum vestigium supererat : perficiunt, illuminant, significant victoriam a Pontificatu et a regno Sanctae Sedis absoluto relatam de concilio et de hoc quod in xv° sæculo dici poterat « *ecclesiasticus parlementarismus* ».

Ut verum dicam, papa existimavit se a Bononiensibus pactis aliud lucrum percepturum esse ; praecipientibus enim concordatis ut unusquique *verum beneficiorum valorem* confiteri teneretur, putabat hoc fundamentum fore juris sui, quod sibi attribuebat, de *Annatibus* : necnon spem hanc suam haud ambigue declaraverat in bulla concordatorum bullae adjuncta. Ex hoc facto asseverant historiarum scriptores multi papam et regem inter se de *Annatibus* consensisse ; quam opinionem nihil confirmat (1). Quae si recta esset, necessario confiteremur in hoc quoque negotio papam omnino regi concessisse, ad

(1) Oratores Veneti scribunt papam beneficiorum nominationem regi concessisse « per aver l'annata » Or. Veneti, 14, 15 déc. 1515 ; Sanuto, 395.

mentem scriptoris Guicciardini. Etenim, ait ille Guicciardini, qui in tempore Leonis X scripsit, cum valor beneficiorum intra centum annos quos Pragmatica Ecclesiam Galliae plus minusve rerege visa fuerit, triplicatus esset, noluerunt beneficiarii legi *de vero valore* declarando obsequi : quamobrem, cum annates solverunt, ex antiquis aestimationibus solverunt (1). Ceterum Antonius Duprat contendebat regi nunquam bullam *de Annatibus* probatam fuisse quasi additum bullae concordatorum corollarium. Rex, ait ter cancellarius in clarissima oratione anni 1517, nunquam *Annates* probavit : lex autem de *vèro valore* in alium finem constituta erat, neque operam ullam cancellarius dedit ut Parlamentum bullam *de Annatibus* quemadmodum bullam de concordatis in acta publica veferret. Re vera papa nunquam, ut quidem constat, tale regis promissum prae se tulisse videtur (2).

Oportet in fine hujus disputationis argumentum aliud afferamus. Si enim papa ex pactis Bononiensibus tantum lucri non fecit quantum speraverat, at videtur Ecclesia Christiana ex eisdem fructum maximum traxisse, quae tunc potuerit regnum Francorum in communione sua conservare. Sane multum aberat quin papa, cum concordatis subscribebat, procellam istam terribilem prospiceret quae erat ex cellula monachi Wittenbergae exitura. Quod si talem ruinam potuisset praevidere, saltem existimasset se, permissa arbitrio regis possessione et distributione bonorum ecclesiasticorum in Gallia, servare filiam Ecclesiae primogenitam a schismate et ab haeresi, quae multo magis quam « Bituricensis pestilentia » detrimento Sanctae Sedi futura erat. Nam Franciscus (res paene patet), utpote qui religionibus minime impeditus esset, aulicos quoque circum se haberet ad novas doctrinas inclinatos et appeteret bona ecclesiastica in arbitrium suum venire ut regnum absolutum stabiliret, non dubitasset, quemadmodum principes Angliae ac Germaniae, haeresim *protestantium* amplecti et opes Ecclesiae vi invadere. Praeterea optimates

(1) Guicciardini, *Storia d'Italia*, XII, ch. vi.
(2) *Oratio cancellarii*, jam cit.

aderant (quorum plurimi asperi et saevi *protestantismum* in XVI° saeculo tuiti sunt) qui, loco regis, ecclesiarum patrimonia discerperent et in seculares opes converterent. Rex vero Christianissimus, factus in Bononiensi conventu hujus patrimonii custos et patronus, cujus interesset bona ecclesisatica servari, jam erit necessario juris sui tutor et rectae fidei satelles quaestuosae sibi. Insignem igitur patronum papa Ecclesiae dederat et eum mira industria et calliditate usum esse dicamus; re autem vera cum concordata Bononiensia pactus est conscius non fuit utilitatis quae ex eis exitura erat.

Omni operi insunt vitia, sed oportet opus ipsum considerare, seclusis rebus ac temporibus ex quibus vel inter quae originem ceperit. In Francorum regno concordata, quamvis vitiosa et imperfecta essent, finem aetati fecerunt qua Gallicana Ecclesia, clericorum ordo et gens tota non fuerant, ut multi immerito crediderunt, libertate ac dignitate conspicui; sed erat potius incredibilis rerum confusio, periculosa et sine ulla utilitate licentia, occulta regis tyrannis, interdum etiam papae immodica dominatio, invitum denique clericorum obsequium. Concordata Galliam a jugo Romano per tria saecula servaverunt quo ecclesia Gallicana sibi derelicta non poterat non premi ni dextra quaedam validior illud averteret. Concordata, etsi sunt in eis dissidiorum multorum radices, Galliae Ecclesiam per ducentos et quinquaginta annos liberam et gloriosam in pace confirmaverunt. Licet igitur nobis contendere ea fuisse regno et Gallicanae Ecclesiae utílissima; quamobrem addimus cum cancellario Duprat : « *Il est certain qu'il n'y a chose au monde quelle qu'elle soit si on veut tirer ou exciper tout le mal qui y est et laisser tout le bien qui né soit trouvée mauvaise ainsi ce qu'est d'un rosier, car à tirer seulement les espines et laisser les roses sera trouvé trop mauvais* (1). »

Sed si possunt quidam dubitare gentem ex pactis anno 1515 et 1516 concordatis plurimam utilitatem cepisse, vidimus contra primo quam nefas sit negare eadem Christianissimo in

(1) *Oratio*, jam cit.

maximum commodum cessisse; ea etiam pacta esse, non unius viri privata et stulta ambitione, sed ex certissimo et tenacissimo consilio; callide tandem regem Christianissimum omnia in bonum hujus consilii vertisse et papae nihil nisi inania concessisse.

Quid igitur jam restat ex verbis asperrimis quibus opus Bononiense vituperaverunt tot et tanti historiarum conditores? Quid ex acerbitate *Henrici Martin* in Franciscum I, ex sententiis *Mignet* ira accensis, ex ampullis *Michelet* et aliorum multorum? Quî stabit nunc illorum accusatio qui regem arguerunt patriam et viros qui rebus patriae gerendis praessent tradidisse « pour un plat de lentilles » et fuisse mollem, ineptum, credulum et inconsultum (1)?

*
* *

Revera, in omnibus quae ad conventum Bononiensem pertinent, rex et regis ministri callidissimi visi sunt : merito poterat Franciscus I cum Bononia Mediolanum redibat, laetus retro aspicere. Nam primo viam sibi astute straverat et injecerat papae timorem de inanibus periculis (de Neapolitano bello cui sponte renuntiaverat et de confirmanda Pragmatica quam sibi incommodam esse existimabat et tolli volebat) : dein comiter passus fuerat papam videri de utroque negotio eum facillime vincere. Pontificem Maximum quoque inebriaverat obsequiis, magnificentia ceperat, genua ei flexerat. Sed dum equestres pompae, convivia, personatae choreae, caerimoniae et joci mentem regis sollicitare et occupare videbantur, regnum suum agris augebat, sociis suis Venetis et Ferrariensibus satisfaciebat, omnes legatos externos et totius Europae oratores capiebat, societatem cum Medicis et Florentinis jungebat, Curiae Romanae auxilium sibi ad res futuras parabat et ejus amicitia in praesenti ad pacem cum vicinis suis componendam

(1) Post hanc sinceram narrationem eventuum Bononiae habitorum quomodo, sine risu legas hoc judicium quod in tempore quo scriptum fuit ab historiarum conditoribus probabatur «... Le célèbre concordat que le vainqueur de Marignan eut la maladresse de se laisser arracher par la ruse et l'habileté de Léon X devenu son compagnon de plaisir... » Oriou, *Guillaume Briçonnet*, 1864.

utebatur, denique *Belli sacri* suscipiendicausa, jus fructuosum *decimae* tributum exigendi a papa impetrabat. Inde ad rem ecclesiasticam transibat et a Leone X viginti omnis generis beneficia extorquebat, concesso tantum inani jure *instituendi* et irrito tributo Annatum. papa enim regi dedit ut principes clericorum in Gallia deligeret et ingentes opes immensosque Ecclesiae agros acceptis sibi viris largiretur : jam rex igitur maxima auctoritate in animos civium polluit.

Uter igitur exiit inferior, rexne an papa ? Si et ipse Leo non parvam utilitatem ex Bononiensibus colloquiis cepit, numquid cum regis detrimento et injuria quidquid commodi tulit? Quis contendet nunc Franciscum deceptum, ministros ejus pecunia captos, Galliam denique derisam et victam fuisse (1)? Revera conventus Bononiensis non modo res est cujus omnes curiosissimi sunt propter viros qui interfuerunt et civilia ecclesiasticaque colloquia quae sunt habita et propter exitum rei gravissimum : sed et clarissima victoria est a viris qui Galliae rebus gerendis praeerant relata, quae Franciscum I et Antonium Duprat apud posteros, si opus esset, commendaret.

Vidi ac perlegi:
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi
decanus.

A. Croiset.

Typis mandetur:
Academiae Parisiensis rector

Gréard.

INDEX NOMINUM ET RERUM

INDEX CAPITULORUM

PARIS. — TYPOGRAPHIE PLON-NOURRIT ET C^ie 8, RUE GARANCIÈRE. — 1409.

PARIS
TYPOGRAPHIE PLON-NOURRIT ET Cie
RUE GARANCIÈRE, 8